ANNUS LXXIV
SERIES VII

1949

FASCICULUS UNICUS
VOLUMEN I

MONITOR ECCLESIASTICUS

fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro Gennari

peculiari S. Sedis adprobatione continuatur.

Vol. 61
Annus 74
Series 7, Tom. 1
1949

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
ME
Alma, California

DESCLÉE & C.i EDITORES PONTIFICII
ROMAE (117) — PIAZZA GRAZIOLI 4

36539

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI

peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Subsecretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concilii

VINCENTIO FAGIOLO A Secretis
Off. S. C. De Disciplina Sacramentorum

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI P. F.	Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum
BARTOCCETTI V.	Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum
BIDAGOR P. R. S. J.	Cons. » » »
CAPPELLO P. F. M. S. J.	Cons. S. C. Concilii
DE ANGELIS S.	Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae
GUTIERREZ P. A.	A Studiis S. C. De Religiosis
INDELICATO S.	Off. S. C. Rituum.
LENTI PROF. J.	Adv. S. Romanae Rotae
OESTERLE P. G.	Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali
PAVENTI S.	A Studiis S. C. De Propaganda Fide
ROMANI S.	Subpromot. Fidei S. C. Rituum
ROMEO A.	A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud.
ZERBA C.	Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis

DESCLÉE & C.ⁱ EDITORES PONTIFICII ET TYPOGRAPHI
:: :: S. C. RITUUM :: ::

PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TELEF. 64395 — C. C. P. 1-4270

IMPRIMATUR

Sorae, 20 - 1 - 1950.

† Michaël Fontevecchia
Ep. Soran., Aquinaten. et Pontiscurvi.

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIP. EDIT. M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS.

JUBILAEUM MAXIMUM. S. de Angelis, *Substitutus S. Paenitentiariae Ap.* . Pag. 9

DECRETUM S. C. S. OFFICII DE COMMUNISMO. R. Bidagor S. J., *Consultor S. C. Sacramentis* . . . . . » 49

DUBIUM DE CELEBRATIONE MATRIMONII INTER ACATHOLICOS. G. Oesterle O. S. B., *Consultor S. C. Pro Ecclesia Orientali.* . . . » 56

DECRETUM DE FACULTATIBUS ET GRATIIS PRO AMERICA LATINA. F. M. Cappello S. J., *Consultor S. C. Consistorialis.* . . . . . » 62

INSTRUCTIO S. C. DE SACRAMENTIS. Diei 1 - X - 1949. C. Zerba, *Subsecretarius S. C. De Sacramentis* . . . . . » 70

DECRETUM S. C. CONCILII. DE MISSIS MODERANDIS. F. Romita, *A Studiis S. C. Concilii* . . . . . » 106

DECRETUM S. C. CONCILII DE LEGE ABSTINENTIAE ET JEJUNII A. Parisella, *A Studiis S. C. Concilii* . . . . . » 122

DE MATRIMONIO PUTATIVO: RESPONSUM PONT. COMM. AD CANONES C. J. C. AUTHENTICE INTERPRETANDOS. A. Larraona C. F. M., *Subsecretarius S. C. De Religiosis.* . . . . . » 143

STUDIA ET CONSULTATIONES.

DE INSTITUTIS SAECULARIBUS: Doctrina et Praxis. S. Canals, *S. C. De Religiosis* . . . . . » 151

DE ACTU POSITIVO VOLUNTATIS QUO BONUM ESSENTIALE MATRIMONII EXCLUDITUR. D. Staffa, *Auditor S. R. Rotae* . . . . . » 164

DE BASILICA MINORE. H. Dante, *Substitutus S. C. Rituum* . . . . . Pag. 174

DE PROBATIONIBUS IN JUDICIO ECCLESIASTICO CIRCA CONTRACTUS JURIS CIVILIS. J. Pendola, *Promotor Justitiae S. R. Rotae.* . . . . » 178

DE EXCUSSIONE MULIERIS IN PROCESSIBUS INCONSUMMATIONIS ET IMPOTENTIAE. V. Fagiolo, *Off. S. C. De Sacramentis* . . . . . » 184

DE COLLEGIO MEDICORUM APUD S. C. RITUUM. S. Indelicato, *Off. S. C. Rituum* . . . . . » 188

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

IL DISCORSO DEL PROCURATORE GENERALE DELLA CORTE DI CASSAZIONE CONTRO LE CORRENTI DIVORZISTICHE . . . . . » 197

IL DIRITTO MATRIMONIALE E LA CASSAZIONE A SEZIONI UNITE. G. Lenti, *Cons. di Corte D'Appello, Avv. Rotale* . . . . . » 202

DISEGNO DI LEGGE SUI MIGLIORAMENTI ECONOMICI AL CLERO CONGRUATO . . . . . » 213

Nota. - Cum numerus paginarum huius fasciculi augeri nequeat, Bibliographia in proximo fasciculo mensis martii prodibit.

* * *

Neminem latet beneficus influxus, quem « Il Monitore Ecclesiastico » *a praeclarissimo canonista sac. Casimiro Gennari, postea S. R. E. Cardinali, a. 1876 fundatus atque peculiari S. Sedis adprobatione munitus, ab aliis clarissimis Romanae Curiae Praelatis laudabiliter continuatus, apud diocesanas Curias et Clerum catholicum tot annorum decursu exercuerit; praesertim cum in quaestionibus pertractandis ad canonicam disciplinam pertinentibus hoc unum prae oculis habuerit, ut sc. mentem S. Sedis apprime fideliterque sequeretur. Quod item egregie perfecerunt scriptores curiales ephemeridis* « *Analecta Juris Pontificii* ».

Quare, plerisque dignissimis ecclesiasticis instanter suadentibus, opportunum visum est utrumque periodicum in unum collectum et ad pristinam formam reductum tertio quoque mense, paginarum tamen numero aucto ad 200 circiter, edere et quidem latina lingua, quae, utpote Ecclesiae propria, periodici indoli magis convenit.

Materia periodici ita erit plerumque distincta.

Summi Pontificis, SS. Congregationum atque Romanae Curiae Tribunalium et Officiorum acta - minora etiam, quae in commentario officiali « Acta Apostolicae Sedis » *publici juris fieri non adsolent - edentur, dummodo ad canonicam disciplinam pertineant, additisque opportunis adnotationibus ab ipsis plerumque Officialibus vel Consultoribus cuiusque S. Dicasterii, a quo documentum prodiit, juxta mentem S. Sedis exaratis.*

Consultationibus ad instantiam lectorum vel ex officio, quae utiliores videantur pro locorum ac temporum necessitatibus, responsio dabitur, praxi ac stylo Romanae Curiae prae oculis habito.

Studia item edentur, quae praesertim ad rectam juris canonici applicationem in ecclesiasticis negotiis gerendis inserviant.

Cum vero Codex juris canonici ad jus civile non semel remittat, perutile visum est jus ecclesiasticum uniuscuiusque Nationis illustrare, documenta legislativa, jurisprudentiae civilis ac bibliographiae summam referendo juxta uniuscuisque Nationis vulgarem sermonem.

Praeterea, ne lectores studia canonistica ignorent quae ephemeridibus ac operibus publici juris fiunt, Bibliographia, duabus constans sectionibus, peculiari industria curabitur.

In Recensionibus *materia operum vel articulorum maioris momenti perspicue de scribetur, additis etiam criticis adnotationibus, si quando Auctorum conclusiones a mente S. Sedis discrepare videantur.*

In Elencho bibliographico *indicabuntur summaria ephemeridum ac opera, quae de jure canonico et ecclesiastico agunt.*

Insuper, ut illis sacerdotibus, qui canonicas quaestiones profundius investigare cupientes bibliothecas ecclesiasticas adire tamen nequeant, auxilium praebeatur, articulorum, quae ipsi desiderent, exemplar ope lucis habitum (*v. d.* « in microfilm *vel* « in fotocopia ») *parvo pretio mittetur.*

Ad hos fines apte consequendos directio atque redactio periodici illis praecipue viris commissa fuit, qui, in Romana Curia tamquam Officiales, Consultores atque Advocati operam suam navantes, mentem S. Sedis fideliter illustrare possunt.

Faxit Deus ut fructuosum periodici opus, a maioribus incoeptum atque tam diu tamque praeclare peractum, continuari adhuc possit tum apud Curias et Seminaria dioecesana quum apud Catholicas Universitates, utriusque cleri sacerdotes et juris canonici cultores.

* * *

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

IUBILAEUM MAXIMUM

INDICTIO UNIVERSALIS IUBILAEI ANNI SANCTI MILLESIMI NONGENTESIMI QUINQUAGESIMI

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS PRAESENTES LITTERAS INSPECTURIS
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iubilaeum maximum, quod per proximi anni decursum hac in Alma Urbe celebrabitur, eo potissimum spectat ut christianos omnes non modo ad admissorum expiationem revocet emendationemque vitae, sed etiam ad virtutem sanctitudinemque assequendam, secundum illud: « Sanctificamini et estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester » (*Lev.*, X, 7; cfr. *I Petr.*, I, 16). Ex quo quidem facile cernitur quae quantaque sit antiquissimi huius instituti utilitas. Si enim homines hanc Ecclesiae vocem exaudierint, si a terrenis fluxisque rebus ad aeterna se converterint pertuoque mansura, tum procul dubio optatissima illa habebitur renovatio animorum, ex qua non tantum privati, sed publici etiam mores christianis praeceptis christianoque afflatu conformabuntur. Siquidem cum recta vivendi ratio singulorum mentes permovet ac sincere efficienterque dirigit, tum necessario consequitur, ut nova quadam vis atque impulsio universam attingat ac pervadat humanae consortionis compagem, quae ad meliorem felicioremque rerum ordinem revocetur. Atqui, si umquam alias, hodie potissimum necesse est Evangelii veritate virtuteque reformare omnia. Hominum nisus, quamvis sint laude digni, nec fallacibus moveantur rationibus, tantae huic rei impares tamen sunt; augusta solummodo religio, quae superno auxilio divinaque gratia

innititur, tam grandem potest suscipere causam, eamdemque, actuose contendentibus omnibus, ad salutiferum exitum adducere.

Quamobrem vehementer optamus ut ubique terrarum sacrorum Antistites una cum clero cuiusque suo, commissum sibi gregem ea diligenter edoceant, quae ad proximum Iubilaeum maximum pertineant; eosdemque adhortentur ad illud aptiore, quo poterunt, modo participandum, sive Romam venire queant, sive domi permaneant; impensiores nemque preces ad Deum fundant; sanctae paenitentiae caritatisque opera multiplicent; ac cetera pro viribus agant, quae Nos, utpote peculiaria proposita per Annum Sacrum assequenda, iam occasione data enuntiavimus.

Itaque, iam nunc uberes salutaresque fructus mente praecipientes, quos supplici a Divino Redemptore poscimus prece, Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, universale maximumque Iubilaeum hac in Alma Urbe a Natali Domini N. Iesu Christi, anno millesimo nongentesimo quadragesimo nono inchoandum, et ad Natalem Domini Nostri anno millesimo nongentesimo quinquagesimo finiendum — idque ad normam canonis CMXXIII — auctoritate omnipotentis Dei, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, ad ipisius Dei gloriam, ad animorum salutem et Catholicae Ecclesiae incrementum, indicimus per has litteras et promulgamus, ac pro indicto promulgatoque haberi volumus.

Hoc igitur piacularis anni decursu, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui rite per Paenitentiae Sacramentum expiati et sacra Synaxi refecti, vel eodem die, vel diversis diebus, quovis ordine servato, Basilicas S. Ioannis ad Lateranum, Vaticanam S. Petri, S. Pauli ad viam Ostiensem ac Liberianam in Exquiliis semel pie inviserint, atque ter preces *Pater Ave Gloria*, semel praeterea *Pater Ave Gloria* ad mentem Nostram, et formulam *Credo* in unaquaque Basilica recitaverint, plenissimam totius paenae, quam pro peccatis luere debent, indulgentiam ac veniam misericorditer in Domini concedimus atque impertimus.

Quae autem supra servanda ediximus ut plenissima Iubilaei venia lucri fiat, pro iis qui aut morbo aliaque legitima causa in Urbe vel ipso itinere prohibiti aut morte interim prae-

repti, praefinitum visitationum numerum nondum compleverint neve inchoaverint quidem ita temperamus, ut iidem, a culpis rite absoluti ac sacra Synaxi refecti, indulgentiae remessionisque iubilaris participes perinde sint, ac si quattuor, quas memoravimus Basilicas reapse inviserint.

Decernimus praeterea iubilarem hanc indulgentiam a christifidelibus, cum sibi, tum vita functis, toties lucri fieri posse, quoties imperata opera rite perficiantur.

Quaenam vero, dilecti filii, sit in universum mens Romanorum Pontificum profecto non ignoratis; at quaenam sit, ad proximum Annum Sacrum quod attinet, peculiaris mens Nostra cupimus apertius clariusque vobis patefacere.

Per admovendas ad Deum supplicationes id imprimis imploretur, ut omnes precando paenitendoque sua quisque admissa expient, atque ad christianam morum emendationem ad christianamque virtutem ita contendant, ut hoc Iubilaeum maximum feliciter maturet universalem omnium ad Christum reditum. Idque praeterea est a Deo supplici petendum prece ut fidelitas, Divino Redemptori ab eoque conditae societati debita, inconcussa mente actuosaque voluntate ab omnibus retineatur; ut sanctissima Ecclesiae iura adversus hostium insidias, fallacias, insectationesque incolumia semper inviolataque serventur; itemque ut qui adhuc sint catholicae veritatis expertes, qui e recto itinere aberrent, ac vel ipsi infitiatores osoresque Dei superna luce collustrentur, ac flexanima gratia permoti ad Evangelii adducantur obtemperandum praecepitis; ut recte composita ac serena tranquillitas ubique terrarum, ac praesertim in sacris Palaestinae locis, quam primum constabiliatur; ut civium ordines, pacatis odiis sedatisque discordiis, iustitia fraternaque concordia invicem coniungantur; ut denique indigentium multitudines e suo labore habeant, unde honeste vivant, atque ex largitate caritateque eorum, qui elatiore fortuna fruantur, necessaria opportunaque assequantur adiumenta.

Redeat tandem aliquando optatissima pax in omnium animos, in domesticos convictus, in singulas Nationes, in universamque populorum communitatem; habeant « qui persecutionem patiuntur propter iustitiam » (Matth., V, 10) invictam illam fortitudinem, quae Ecclesiam inde ab originibus martyrum cruore decoravit; qui profugi, qui captivi, qui extorres longe a propriis laribus abstrahuntur, ad dulcissimam possint

quantocius patriam remeare suam; qui autem dolore maerore-que anguntur, supernis reficiantur solaciis. Christiano pudore fulgeat ac christiana virtute floreat, vigescat animosa iuventus; eique in exemplum praeluceat provecta ac senilis aetas; omnes denique caelesti ea fruantur gratia, quae sit auspicium sempiternae adipiscendae in caelis beatitatis.

Iam nihil aliud, dilecti filii, reliquum est, nisi ut vos paterna invitemus voluntate ut Romam per piacularis anni decursum frequentissimi conveniatis; Romam dicimus, quae christifidelibus cuiusvis Nationis veluti altera patria est, ubi locum, in quo Apostolorum Princeps post factum martyrium conditus fuit, venerari queunt, ubi sacra martyrum hypogea, ubi templa praeclarissima, ubi avitae fidei avitaeque pietatis monumenta cernere possunt, ac communem Patrem visere, qui, brachia ad eos pandens, amantissimo animo eorum adventum praestolatur.

Novimus quidem itinera non omnibus expedita neque facilia fore; iis praesertim, qui tenuiore fortuna utantur atque in longinquis commorentur terris. Atsi, cum de terrenae huius vitae necessitatibus agitur, tantopere contenditur ut omne genus difficultates evincantur, cur omnino sperare non liceat futurum ut ingentes undique terrarum multitudines, nullis parcentes laboribus, nullisque perterritae incommodis, ad Almam hanc Urbem confluant, caelestia munera impetraturae?

Attamen, dilecti filii, eiusmodi peregrinationes non eorum more suscipiendae sunt, qui delectationis causa iter facere solent, sed pientissimo eo animo, quo iam superioribus aetatibus christifideles cuiusvis ordinis ac cuiusvis gentis, aspera saepenumero commeatuum impedimenta exsuperantes, ac vel pedites, Romam petiere, ut paenitentiae lacrimis suas labes proluerent, ac veniam et pacem a Deo implorarent. Avitam hanc fidem actuosumque divinae caritatis ardorem exsuscitate, augete, in ceterosque infundite; atque ita, Dei Numine adspirante iuvanteque, fiet ut proximum Iubilaeum maximum et singulis, et universae christianorum consortioni fructus afferat saluberrimos.

Ut autem hae Litterae Nostrae ad omnium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis, etiamsi prelo editis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem

prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur hominum liceat hanc paginam Nostrae indictionis, promulgationis, concessionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesima sexta mensis Maii, anno millesimo nongentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

(*A. A. S.* Vol. XXXXI pp. 257-261).

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

INDULGENTIAE ET FACULTATES SUSPENDUNTUR VERTENTE ANNO GENERALIS MAXIMIQUE IUBILAEI MILLESIMO NONGENTESIMO QUINQUAGESIMO.

PIUS EPSCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Fore confidimus ut proximum Iubilaeum maximum, quod haud ita pridem indiximus, cum singulis christifidelibus, tum humanae societati fructus afferat uberrimos. Nobis enim dabitur — ut in optatis est — ingentes christianorum multitudines cernere, quae Romam undique gentium confluent, ut principem Catholicae Ecclesiae Sedem ac Iesu Christi Vicarium revereantur, ut praeclara religionis monumenta pie invisentes suam fidem alant ac refoveant, ut denique sua admissa expient et ad virtutem optimosque redintegrandos mores una simul exardescant.

Ac futurum quoque speramus ut mirandum hoc fraternae unitatis caritatisque spectaculum — dum odium haud paucos

homines miserandum in modum disiungit atque exagitat — facere non possit quin eos etiam, qui catholico non censentur nomine, salutariter percellat atque commoveat.

Ut autem quam plurimi, divinae gratiae munera impetraturi, ad almam hanc Urbem per anni sacri decursum conveniant, quod Decessor Noster Sixtus IV anno MCCCCLXXIII decrevit, id ipsum Nos per has Litteras statuere censemus, prudenti tamen temperatione modoque adhibito, quemadmodum infra indicaturi sumus: hoc est promulgata atque ad rem deducta Iubilaei indulgentia, iam ceteras omnes poenarum relaxationes, aut concessas, aut concedendas, itemque facultates cuivis factas, extra Urbem, Apostolicae Sedis nomine atque auctoritate dispensandi absolvendique in utroque foro, per piacularem anuum conquiescere atque intermitti iubemus.

Itaque, auctoritate Nostra apostolica, usitatas pro vivis indulgentias, ut decessores Nostri simili in causa decreverunt, sic Nosmet per totum Anni Sancti decursum ubique — in Ecclesia etiam Orientali — intermitti suspendique decernimus; itemque facultates Nostro nomine extra Urbem exercendas intermittimus atque suspendimus, iis tamen in utraque re exceptis, quas mox enumeraturi sumus.

Etenim ex indulgentiis, quae pro vivis concessae sunt, has, quae sequuntur, integras atque immutatas permanere volumus:

I. Indulgentias *in articulo mortis* lucrandas.

II. Eam, qua frui omnibus licet, qui cum primo diluculo, tum meridiano tempore, tum sub vesperam, vel cum primum postea potuerint, precationem « Angelus Domini », vel, pro temporis ratione « Regina caeli », vel, si neutrum fieri potest, quinquies *Salutationem Angelicam* « Ave Maria » recitaverint.

III. Indulgentias iis tributas qui pie templa inviserint, ubi Sacramentum augustum *quadraginta horarum* spatio adorandum proponitur.

IV. Indulgentias, quas eos lucrari decretum est, qui Sacramentum augustum, cum ad aegrotos defertur, comitentur, aut facem vel cereum per alios ferendum ea occasione mittant.

V. Indulgentiam, toties quoties lucrandam, iis concessam, qui sacellum Portiunculae in templo S. Mariae Angelorum, prope Asisium, pietatis causa, adierint.

VI. Indulgentias iis concessas, qui precem recitaverint a Nobismet ipsis compositam pro Anno Sancto MDCCCCL.

Ceteras omnes indulgentias plenarias et partiales, aut ab Apostolica Sede directe concessas, aut ab aliis quoquo pacto concessas concedendasque ex facultate iure ipso vel peculiari indulto sibi facta, decernimus, per totum Annum Sanctum, nusquam terrarum vivis prodesse, sed tantummodo vita functis. Praesentium interea auctoritate Litterarum praecipimus ac mandamus, ut, praeter indulgentias Iubilaei easque, quas superius singillatim excepimus, nullae praeterea aliae uspiam, sub paena excomunicationis ipso facto incurrendae aliisque paenis arbitrio Ordinariorum infligendis, quomodocumque publicentur.

Ad illud idem propositum, ad quod indulgentiarum intermissio spectat, facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Nobis et Apostolicae Sedi reservatis, relaxandi censuras, dispensandi a votis eademque commutandi, dispensandi praeterea ab irregularitatibus et impedimentis, cuilibet quoquo modo concessa, extra Urbem eiusque suberbium, per Iubilaei Maximi decursum, suspendimus nullique suffragari volumus.

Haec tamen per exceptionem decernimus:

I. Ratae sint facultates omnes per Codicem iuris canonici quovis modo concessae.

II. Ratae item firmaeque sunto facultates pro foro externo ab Apostolica Sede tum Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis factae, tum Ordinariis locorum, Antistitibus religiosorum Ordinum atque Superioribus Religiosarum Congregationum maioribus quoquo modo in subditos suos tributae.

III. Quas denique facultates S. Paenitentiaria Nostra impertire solet Ordinariis aut confessariis pro foro interno, easdem ne extra Urbem quidem suspendimus, sed ita ut erga eos dumtaxat paenitentes exerceantur, qui, quo tempore confessionem peragunt, iudicio Ordinarii aut confessarii nequeant sine gravi incommodo Urbem adire.

Quaecumque autem his Litteris decreta continentur, ea omnia stabilia, rata, valida esse volumus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuslibet.

Earum vero exemplis aut excerptis, etiam impressis, notarii publici cuiusvis manu subscriptis ac sigillo alicuius in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem volumus haberi fidem, quae haberetur praesentibus si esset exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur liceat hanc paginam Nostrae suspensionis, de-

clarationis, voluntatis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die decima mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

II

PAENITENTIARIIS ALIISQUE IN URBE CONFESSARIIS EXTRAORDINARIAE CONCEDUNTUR FACULTATES ANNO VERTENTE GENERALIS MAXIMIQUE IUBILAEI MILLESIMO NONGENTESIMO QUINQUAGESIMO.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, cupimus per proximum piacularem annum iis etiam ad frugem bonam ad christianamque virtutem reditum faciliorem reddere, qui gravioribus criminibus impliciti, longe a Divini Redemptoris amplexu aberrent. Id facientes, novimus Nos Iesu Christi partes agere, qui ut amantissimus pastor nihil magis exoptat, quam oves amissas vulnereque sauciatas ad gregem reducere, earumque plagas, opportunis adhibitis remediis, curare suaviterque lenire. Quapropter valde opportunum ducimus per anni sacri decursum confessariorum in Urbe amplificare atque augere potestatem.

Itaque motu proprio, certa scientia ac de apostolicae plenitudine potestatis, ea quae sequuntur de confessariis in Urbe et suburbio, anno Iubilaei vertente, deputandis, deque extraordinaria potestate iisdem attribuenda, praescribimus ac statuimus.

Dilecto filio Nostro Cardinali Paenitentiario Maiori committimus ac demandamus, ut, praeter eos, qui nunc sunt, quattuor Basilicarum Lateranensis, Vaticanae, Ostiensis et Liberia-

nae paenitentiarios minores ordinarios atque extraordinarios, tam in meroratis quattuor Basilicis, quam in reliquis quoque sive saecularium sive regularium ac praesertim in variarum nationum per Urbem ecclesiis, novos similiter paenitentiarios ad totum Annum Sanctum deputet et abunde multiplicet.

Quibus paenitentiariis minoribus, sive ordinariis sive extraordinariis, sive iam exsistentibus sive a dilecto filio Nostro Cardinali Paenitentiario Maiore, ut supra, deligendis, concedimus, ut per Annum Sanctum possint, pro foro conscientiae in actu sacramentalis confessionis et per se ipsi tantum, absolvere quoslibet paenitentes non solum a quibusvis censuris et peccatis Romano Pontifici aut Ordinario a iure reservatis, sed etiam a censura ab homine lata. Huius tamen censurae absolutio in foro externo non suffragabitur.

At hisce amplissimis facultatibus non utantur nisi normis exceptionibusque servatis, quae sequuntur:

I. Ne absolvant, nisi in adiunctis atque ad praescriptum can. 2254 Codicis iuris canonici, eos, qui irretiti sint aliqua censura vel Romano Pontifici personaliter, vel specialissimo modo Apostolicae Sedi reservata. Ne absolvant pariter illos, qui in censuram inciderint, de qua in can. 2388, § 1, Sanctae Sedis reservatam ad normam Decreti « Lex sacri coelibatus » per Sacram Paenitentiariam Apostolicam editi d. XVIII mensis Aprilis, a. MDCCCCXXXVI (cfr. *Acta Ap. Sedis,* vol. XXVIII, p. 242), itemque ad normam Declarationis ab eadem Sacra Paenitentiaria datae d. IV mensis Maii, a. MDCCCCXXXVII (cfr. *Acta Ap. Sedis,* vol. XXIX, p. 283); vi cuius Decreti et Declarationis haec censura in casu speciali, de quo agitur, ita Sacrae Paenitentiariae reservatur, ut nemo umquam, excepto periculo mortis, ab ea absolvere possit, ne vi quidem can. 2254.

II. Similiter ne absolvant, nisi ad praescriptum can. 2254, praelatos cleri saecularis ordinaria iurisdictione in foro externo praeditos, superioresque maiores Religionis exemptae, qui in excommunicationem speciali modo Sanctae Sedi reservatam publice inciderint.

III. Haereticos vel schismaticos, qui fuerint publice dogmatizantes, ne absolvant, nisi ii, abiuratis saltem coram ipso confessario haeresi vel schismate, scandalum, ut par est, iam reparaverint, aut promiserint sese, ut par est, efficaciter reparaturos. Ad natos in haeresi quod attinet, si dubitetur de facto

vel validitate baptismi in secta collati, eiusmodi acatholici, ante absolutionem, ad dilectum filium Nostrum Cardinalem in Urbe Vicarium remittantur.

Ne absolvant praeterea eos, qui in rerum adiunctis versantur, de quibus agitur in Decreto Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, d. I mensis Iulii a. MDCCCCXXXXIX edito, de communismo (Cfr. *Acta Apost. Sedis*, vol. XXXXI, p. 334), nisi sincere et efficaciter resipuerint.

IV. Pariter ne absolvant eos, qui sectis vetitis, massonicis aliisve id genus nomen dederint, etiamsi occulti sint, nisi, abiurata saltem coram ipso confessario secta, scandalum reparaverint et a quavis activa cooperatione vel favore suae cuiusque sectae praestando cessaverint; nisi ecclesiasticos et religiosos, quos sectae adscriptos noverint, ad can. 2336 § 2, denuntiaverint; nisi libros, manu scripta et signa, quae eandem sectam respiciant, quotiescumque adhuc retinent, absolventi tradiderint, ad S. Officium quamprimum caute transmittenda, aut saltem — idque iustis gravibusque de causis — per se ipsi destruxerint; sin minus, ipsimet sincero animo spoponderint se memoratas condiciones esse, quamprimum potuerint, adimpleturos; impositis, praeterea, pro modo culparum, gravi paenitentia salutari et frequenti sacramentali confessione.

V. Qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisiverint, ne absolvantur nisi aut iis restitutis, aut compositione quam primum ab Ordinario vel ab Apostolica Sede postulata, aut saltem promissione sincere facta eandem compositionem postulandi; nisi de locis agatur, in quibus a Sede Apostolica aliter iam provisum fuerit.

VI. Possint iidem paenitentiarii omnia et singula vota *privata*, etiam Sedi Apostolicae reservata, iurata quoque, commutare in alia pia opera, ex iusta causa. Votum autem castitatis perfectae et perpetuae, quamvis ab origine publice emissum sit in professione religiosa tam simplici quam sollemni, subinde tamen, aliis huius professionis votis dispensatis, firmum atque integrum manserit, similiter possint, gravi de causa, in alia pia opera commutare. Nullatenus tamen ab eodem illos dispensent, qui vi Ordinis sacri ad legem caelibatus tenentur, etiamsi ad statum laicalem redacti sint. A commutandis vero votis cum praeiudicio tertii, se abstineant, nisi is, cuius interest, libenter expresseque consenserit. Votum denique non peccandi, aliave

paenalia vota ne commutent, nisi in opus, quod, non minus quam votum ipsum, a peccato refrenet atque arceat.

VII. Dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, a quavis irregularitate ex delicto prorsus occulto; item ab irregularitate, de qua in can. 985, 4°; sed ad hoc unice, ut paenitens Ordines iam susceptos sine infamiae vel scandali periculo exercere queat.

VIII. Dispensare item possint, pro foro conscientiae et sacramentali tantum, ab occulto impedimento consanguinitatis in tertio vel secundo gradu collaterali, etiam attingente primum, quod ex generatione illicita proveniat, solummodo ad matrimonium convalidandum, non ad contrahendum.

IX. Sive autem de matrimonio contracto agatur sive de contrahendo, dispensare possint ab occulto criminis impedimento, neutro tamen machinante; iniuncta, in primo casu, privata renovatione consensus, secundum can. 1135; imposita, in utroque, salutari, gravi diuturnaque paenitentia.

X. Ad visitationes quod attinet quatuor Basilicarum, paenitentiarii, pro singulis qui, iusta de causa, eas praescripta ratione perficere nequeant, facultatem habent cum concedendi dispensationem visitationis alicuius Basilicae, eam commutando — si fieri potest — in visitationem alius ecclesiae, tum etiam visitationum numerum contrahendi. Cum singulis autem, qui, morbo aliove legitimo impedimento detenti, memoratas Basilicas invisere nequeant, praescriptas visitationes in alia pia opera, quae ab ipsis impleri possint, dispensando commutent. Paenitentiarii tamen sciant, se conscientiam suam oneraturos, si inconsulto et sine iusta causa christifideles ex eiusmodi visitationibus exemerint. Quos vero recte a visitationibus dispensaverint, iis ne indulgeant, ut preces ad mentem Nostram fundendas, quae a visitatione separari quidem possunt, praetermittant; in aegrotantium tantum commodum liceat eas etiam imminuere.

XI. Ab obligatione praescriptae confessionis, quam ad adimplendam nec invalida nec annua ex praecepto confessio sufficit, ullum ne exsolvant, ne eum quidem qui materiam necessariam non habeat.

XII. Ad S. Communionem quod attinet, nefas esto eiusmodi praescriptum in alia pia opera commutare, nisi de aegrotis agatur qui ab ea suscipienda prorsus impediantur. Volumus

autem, Iubilaei causa, eam sufficere, quae per modum viatici ministratur; minime vero eam, quae in Paschate peragenda praecipitur. Qui tamen paschale praeceptum misere neglexerit, possit is deinde una Communione utrique obligationi satisfacere.

XIII. Hisce omnibus, quas memoravimus, facultatibus volumus uti non modo paenitentiarios, de quibus in harum Litterarum exordio diximus, sed etiam S. Paenitentiariae Praelatos: itemque eiusdem S. Paenitentiariae Officiales omnes qui sint in Urbe ad audiendas fidelium confessiones habitualiter adprobati; singulos Urbis suburbiique parochos; rectores et confessarios, a Vicariatu adprobatos, ecclesiarum nationalium, praeteraque nonnullos confessarios pro praecipuis celebrioribusque Urbis templis designandos, quorum omnium sedi confessionali tabella affigatur in qua verba inscripta sint PAENITENTIARIUS SANCTI IUBILAEI. Praeterea ut religiosorum virorum utilitati uberius consulamus, easdem facultates tribuimus, pro Ordinibus Congregationibusque exemptis, aliquibus ex iis confessariis, quos Superiores pro subditis tantum adprobaverint ad formam can. 518 et secundum extensionem in can. 514 § 1 descriptam; Superioris quidem erit, in unaquaque domo unum alterumve in individuo deputare: qui tamen ex hac sola deputatione non poterunt facultatibus, de quibus supra, uti erga fideles domui ac Religioni extraneos.

XIV. Paenitentiarii, ut supra deputati, sciant posse se descriptis facultatibus uti cum omnibus fidelibus Ecclesiae tam Occidentalis quam Orientalis, qui ad confitendum apud ipsos accedant ea mente et voluntate, sincera quidem et firma, ut Iubilaei veniam lucrentur.

Facultatibus tamen absolvendi a peccatis et ab ecclesiasticis censuris itemque dispensandi ab irregularitate cum eodem paenitente uti nequeant nisi semel tantum, cum ipse Iubilaei veniam primum lucretur.

Ceteras vero facultates — eam etiam visitationes contrahendi aut commutandi ad datam normam sub n. X — in favorem etiam eiusdem paenitentis semper exercere poterunt.

XV. Uti iisdem facultatibus poterunt etiam extra ecclesiam cui addicti sunt, si quando contingat eos alibi confessiones excipere, servatis can. 908-910 et de consensu rectorum ecclesiarum. Caveant tamen — in quo graviter eorum conscientiam

oneramus — ne ecclesiam propriam neglegant, ut aliis inserviant.

Cum autem, ad maiora animarum lucra anno isto salutaris expiationis comparanda, intersit operarios multiplicari, omnibus quoque confessariis adprobatis ad annum a Venerabili Fratre Nostro Cardinali Vicario in spiritualibus generali, itemque reliquis omnibus confessariis regularibus exemptis, quos Superior tantummodo suus pro sodalibus Religionis omnibusque extraneis in religiosa domo diem noctemque commorantibus adprobaverit — intra fines tamen temporis, loci ac personarum in concessione adprobationis designatos — has, quae sequuntur, tribuimus extraordinarias facultates:

1. Absolvere possint, per se ipsi tantum et in foro dumtaxat conscientiae et sacramentali, eos, qui apud ipsos confiteantur, a quibusvis peccatis et censuris, etiam speciali modo a iure Sanctae Sedi reservatis, aut Ordinario reservatis, dummodo censurae publicae non sint, iniunctis tamen salutaribus paenitentiis aliisque de iure iniungendis, servatisque potissimum in hac absolutione impertienda normis atque exceptionibus, quae supra, sub nn. I-V, pro paenitentiariis minoribus praescriptae sunt.

2. Omnia et singula vota privata, etiam iurata, dispensare possint, in foro coscientiae et sacramentali tantum, commutando in alia pia opera, ex iusta causa, exceptis iis privatis votis quae can. 1309 Apostolicae Sedi reservantur, itemque exceptis votis publice emissis in susceptione Ordinis sacri aut in professione religiosa tam sollemni quam simplici, et iis, quorum aut dispensatio vergeret in detrimentum tertii aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum.

3. Dispensare possint ab irregularitate eodem modo ac paenitentiariis conceditur sub n. VII.

4. Dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, circa visitationes quatuor Basilicarum easque item commutare eodem modo ac paenitentiariis conceditur sub n. X.

5. Si quas autem facultates ab Apostolica Sede per S. Paenitentiariam aut alio legitimo modo impetraverint aut per Annum Sanctum impetrabunt, eae firmae atque immutatae sunto.

6. De usu facultatum, quas supra sub nn. 1-4 concessimus, ea valeant ac serventur, quae pro paenitentiariis minoribus sub n. XIV constituimus.

Nihil reliquum est, nisi ut paenitentiarios et confessarios, quibus extraordinarias facultates istas de Apostolica benignitate largiti sumus, vehementer moneamus ut patienti animo caritatisque pleno eos omnes excipiant, qui Domino reconciliari cupiant et caelestibus frui thesauris, quos Sancta Mater Ecclesia per totum Iubilaei annum cuivis reserat.

Praesentes autem Litteras volumus firmas exsistere et fore, earumque exemplis atque excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem adhiberi fidem, quae hisce Litteris adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Nulli igitur liceat paginam hanc Nostrae concessionis, declarationis et voluntatis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotensis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die decima mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

III

INDULGENTIAE ANNI SANCTI MDCCCCL CONCEDUNTUR MONIALIBUS ALIISQUE STABILI IMPEDIMENTO DETENTIS CUM OPPORTUNIS FACULTATIBUS CIRCA ABSOLUTIONES ET VOTORUM COMMUTATIONES.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Iam promulgato maximo generalique Iubilaeo, quod qui ad almam hanc Urbem convenerint participare poterunt, paternus animus Noster ad eos se convertit, qui, gravi praepediti impedimento, prohibentur quominus Romanam suscipiant peregrinationem. Hi sunt non modo qui vitam contemplationi deditam in claustralibus saeptis traducunt, sed qui etiam ob senilem aetatem, vel infirmam valetudinem itineris incommoda tolerare

non possunt; qui in exsilio, in captivitate, in publica custodia detenti, vel alia de causa, adveniendi libertate non fruuntur; qui denique tam misera anguntur sorte, ut necessarias impensas facere non valeant.

His etiam cupimus ut facultas ne desit caelestibus utendi largitionibus, quae per proximum piacularem annum assequendae proponuntur; ita quidem ut christianorum omnium communitati uberiores pateant impertiendae divinae gratiae latices. Ac futurum confidimus ut eorum preces, qui ex suscepto vitae instituto virginalem innocentiam colunt, eorumque piacula expiationesque, qui in aerumnosis miserisque versantur condicionibus, non modo sibi, sed Ecclesiae etiam, universaeque hominum societati a misericordissimo Deo feliciora tempora impetrent.

Huius vero concessionis Nostrae hi dumtaxat, qui sequuntur, participes sunto:

I. In primis Moniales omnes, quae in coenobiis degunt sub claustri perpetui disciplina; item quae in iisdem monasteriis aut probandae et postulantes sunt aut tirocinium exercent aut educationis aliave legitima de causa, etsi per maiorem tantummodo anni partem, commorantur. Neque excipi volumus mulieres earum contubernales, quae famulatus vel stipis colligendae gratia, saepta religiosa egrediuntur.

II. Omnes religiosae Sorores, scilicet votorum simplicium, quae ad Congregationem pertineant iuris sive pontificii sive dioecesani, quamquam severiore claustri lege non adstringuntur, una cum suis novitiis, probandis, atque educandis puellis — semi-convitricibus quoque, ut aiunt, non tamen externis —, aliisque communi cum ipsis mensa utentibus, domicilio vel quasi domicilio.

III. Pariter Oblatae, seu piae feminae, vitae societate coniunctae, etiamsi vota non emittant, quarum tamen Instituta ab ecclesiastica auctoritate vel ratione stabili vel ad experimentum probata sint, una cum suis novitiis, probandis, puellis educandis aliisque communi cum ipsis contubernio utentibus, ut de Congregationibus religiosis n. II diximus.

IV. Omnes feminae ad quemvis Tertium Ordinem Regularem pertinentes, quae sub uno eodemque tecto, cum approbatione ecclesiastica, communiter vivunt, itemque, ut supra, omnes earum contubernales.

V. Puellae et mulieres in gynaeceis seu Conservatoriis degentes, quamvis non sint Monialibus, Sororibus religiosis, Oblatis Tertiariisve concreditae.

VI. Anachoretae et Eremitae, non ii quidem, qui nullis adstricti clausurae legibus vel communiter vel solitarii sub Ordinariorum regimine certisque legibus obtemperantes vivunt; sed ii, qui in continua — licet non omnino perpetua — clausura et solitudine deditam contemplationi vitam agunt et monasticum aut regularem Ordinem profitentur, ut Cistercienses Reformati B. M. V. de Trappa, Eremitae Camaldulenses et Carthusiani.

VII. Christifideles utriusque sexus, qui captivi in hostium potestate versantur, aut in carcere custodiuntur, aut exsilii paenas deportationisve luunt, aut apud paenales domos ad opus damnati reperiuntur, aut denique in correctionis domibus versantur; itemque ecclesiastici vel religiosi viri, qui in coenobiis aliisve domibus, emendationis gratia, detinentur.

VIII. Christifideles utriusque sexus, qui in illis Nationibus commorantur, in quibus ob peculiaria rerum adiuncta non licet Romanam suscipere peregrinationem.

IX. Christifideles utriusque sexus, qui morbo vel imbecilla valetudine prohibentur, quominus, intra Iubilaei annum, aut Urbem adeant aut in Urbe praescriptas Patriarchalium Basilicarum visitationes instituant, qui in nosocomiis, conducti vel sponte ipsi sua, aegrotantibus, continuatâ operâ, adsunt; qui corrigendorum emendationi ac regimini praeponuntur; itemque operarii, qui, cotidiano sibi victum labore comparantes, nequeunt se ab eo per tot horas abstinere; senes denique, qui septuagesimum aetatis suae annum excesserint.

Hos omnes et singulos monemus hortamurque ut admissa cuiusque sua dolenti animo perscrutantes, eadem per Paenitentiae Sacramentum eluant ac renovato spiritu ad perfectioris vitae institutum citatiore gradu contendant; mox Angelorum Pane ea, qua decet, pietate reficiantur, indeque vires sumant ad proposita sancte suscepta religiosissime exsequenda; denique ad mentem Nostram — hoc est pro Ecclesiae Catholicae incremento, pro extirpandis erroribus, pro Principum concordia totiusque humanae consortionis tranquillitate et pace — orare ne praetermittant.

Visitationi autem quatuor Urbis Basilicarum alia religionis,

pietatis caritatisque opera iidem sufficiant, quae Ordinarius per se ipse vel per prudentes confessarios, pro condicione et valetudine singulorum ac pro loci temporisque rationibus, iniunxerit.

Itaque omnipotentis Dei misericordia et beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, iis omnibus et singulis, quos supra memoravimus, vere paenitentibus et intra Annum Sanctum rite confessis ac sacra synaxi refectis, Deumque, ut supra diximus, ad mentem Nostram orantibus, omnia denique implentibus alia iniungenda opera in locum visitationum, ac, vel inchoatis tantum iisdem operibus si morbus periculosus oppresserit, plenissimam totius paenae, quam pro peccatis luere debent, indulgentiam, rite tamen obtenta per Paenitentiae Sacramentum remissione ac venia, haud secus ac si praescripta communiter ceteris omnibus explevissent, de Apostolicae liberalitatis amplitudine largimur atque concedimus; quam quidem indulgentiam toties intra Anni Sancti decursum lucrari possunt, quoties iniuncta opera iteraverint.

Porro liceat unicuique eorum, quos supra memoravimus, sibi confessarium eligere a suo Ordinario ad praescripta Codicis approbatum, cui, vi praesentis Constitutionis, pro confessione dumtaxat ad lucrandum Iubilaeum instituta, concedimus, ut, sine detrimento earum facultatum, quas forte alio titulo exercere possit, personas supra dictas in foro sacramentali tantum absolvere queat a quibusvis censuris et peccatis etiam speciali modo a iure Apostolicae Sedi reservatis, aut Ordinario reservatis, excepto casu haeresis formalis et externae, impositis salutari paenitentia aliisque secundum canonicas sanctiones rectaeque disciplinae regulas iniungendis. Praeterea confessario, quem monialis sibi elegerit, potestatem facimus dispensandi a votis privatis quibuslibet, quae ea ipsa post professionem sollemnem nuncupaverit quaeque regulari observantiae minime adversentur. Confessarios autem supra memoratos volumus quoque commutare posse omnia vota privata, etiam iurata, quibus Sorores in Congregatione votorum simplicium, Oblatae, Tertiariae regulares, puellae et mulieres communibus domibus vitam agentes, sese obstrinxerint, iis votis exceptis quae Apostolicae Sedi reservata sint, et iis, quorum aut dispensatio vergeret in detrimentum tertii aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum.

Hortamur autem venerabiles fratres Episcopos aliosque locorum Ordinarios, ut, ad apostolicae Nostrae benignitatis exemplum, eligendis ad praesentium effectum confessariis impertiri ne recusent facultatem absolvendi a casibus qui ab ipsis Ordinariis reservati sint.

Harum interea decreta et iussa Litterarum rata, valida, firma in omnes partes esse et fore decernimus, contrariis non obstantibus quibuslibet. Volumus denique ut harum Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiatica dignitate constituti munitis, eadem prorsus adiungatur fides, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur hominum liceat paginam hanc Nostrae declarationis, concessionis, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die decima mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

(*A. A. S.* vol. XXXXI pp. 337-349).

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

I

MONITA

DE USU FACULTATUM CONFESSARIIS PER ANNUM SANCTUM TRIBUTARUM DEQUE RATIONE INDULGENTIAE IUBILAEI LUCRANDAE, AD NORMAS CONSTITUTIONUM BENEDICTI XIV, LEONIS XIII ET PII XI EXARATA, AUCTORITATE SS.MI D. N. PII PP. XII AD HODIERNAM DISCIPLINAM ACCOMODATA EIUSQUE IUSSU EDITA.

Per Apostolicam Constitutionem « Decessorum Nostrorum » die x mensis Iulii datam, paenitentiariis minoribus aliisque in Urbe et suburbio confessariis amplissimae fuere facultates attributae, eo quidem consilio ut iubilaris veniae adeptio facilius redderetur.

Oportet tamen eiusmodi facultates summa prudentia exerceantur, ut finis ille, quem Sancta Mater Ecclesia, piacularem annum indicendo, sibi proposuit, salutarem consequatur effectum uberesque fructus.

Quamobrem Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XII, quae monita ex decessorum Suorum auctoritate hac super re sapientissimis rationibus iam edita fuerunt, eadem ad recentiora praescripta et ad praesentem disciplinam accommodata, prout infra exponuntur, religiose retinenda esse decrevit, et a singulis, sive Ordinariis, sive confessariis ecclesiarumque rectoribus, accurate servanda.

I. Noscant imprimis in compertoque habeant paenitentiarii aliique confessarii se extraordinariis hisce facultatibus uti posse dumtaxat erga paenitentes qui ad confitendum accedant *ea mente et sincera voluntate* ut Iubilaei veniam consequantur; attamen si paenitens, mutato proposito, ab acquirenda indulgentia Iubilaei destiterit atque cetera opera imperata intermiserit, omnes absolutiones censurarum, si eas excipias quae ad reincidentiam datae sint, itemque commutationes et dispensationes concessae in suo robore permaneant.

Simplices confessarii his facultatibus in sacramentali confessione tantum uti possunt; paenitentiarii vero etiam in foro

interno extra-sacramentali, dummodo de peculiaribus ne agatur pro quibus sacramentalis confessio expresse requiratur.

Urbis tamen et suburbii parochi, qui per Constitutionem « Decessorum Nostrorum » anno sancto vertente paenitentiariis annumerantur, peculiarem facultatem habeant iubilares visitationes dispensandi, contrahendi ac commutandi ad normam memoratae Constitutionis sub n. X, non modo cum de paenitentibus agitur, sed etiam cum de singulis fidelibus singulisque familiis paroeciae suae.

II. Quandoquidem facultas absolvendi a peccatis et ab ecclesiasticis censuris, itemque dispensandi ab irregularitate hisce finibus continetur atque circumscribitur, ita ut per piacularis anni celebrationem semel tantummodo cum eodem paenitente exerceri queat, cum scilicet ipsemet iubilarem veniam primum lucretur (cfr. Const. « Decessorum Nostrorum » sub n. XIV); itemque tum solummodo, cum paenitens iam ab alio confessario facultatem habente per anni sancti decursum ab his peccatis atque censuris absolutus non fuerit, vel ab irregularitate dispensatus, summopere necesse est paenitentiarios ac confessarios, ut munere suo rite fungantur, a quolibet paenitente hisce peccatis, censuris vel irregularitate irretito exquirere:

1° utrum iam iubilarem veniam lucrifecerit necne;

2° quodsi eam non lucrifecerit, num, anno sancto vertente, a peccatis vel a censuris reservatis absolutus fuerit; vel ab irregularitate dispensatus.

III. Confessarii praediscant ac memoriâ teneant indicem peccatorum, censurarum, poenarum impedimentorumque omnium, quorum absolutio vel dispensatio in facultatibus sibi concessis non comprehenditur; si qua autem eiusmodi occurrerint, meminisse eos oportet, non aliter posse se paenitenti providere, quam iis religiose servatis quae Codex praescribit can. 2254, 2290, 1045 § 3.

IV. Non praetermittant suam cuique paenitenti salutarem paenitentiam sacramentalem imponere, etiamsi sibi coniicere iure liceat paenitentem plenissimam Iubilaei veniam esse consecuturum.

V. Si quis in occultas censuras ob partem quoquo modo laesam inciderit, eum ne ante absolvant, quam parti laesae, etiam scandalum reparando damnumque sarciendo, satisfece-

rit: aut saltem, si eiusmodi satisfactionem praestare ante non possit, vere graviterque promiserit se, cum primum licuerit, satisfacturum.

VI. Paenitentiarii, qui a censuris etiam publicis absolvere possunt, hoc exploratum habeant:

Qui aliqua censura fuerint nominatim affecti vel uti tales publice renuntiati, non posse eos tamdiu Iubilaei beneficio frui quamdiu in foro externo non satisfecerint et rite dispositos sese ostenderint, posse, remoto scandalo, in foro sacramentali interim absolvi ad finem dumtaxat lucrandi Iubilaeum, cum onere quam primum se subiiciendi etiam in foro externo ad tramitem iuris.

VII. Ad peccatum quod attinet, per can. 894 reservatum ratione sui, paenitentiarii aliique confessarii absolutionem ne impertiant, nisi paenitens falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi et diuturna paenitentia. .

VIII. Si de casu agatur, etiamsi occulto, de quo ad can. 2342, prohibeant, sub poena reincidentiae, quominus paenitens in posterum ad illam religiosam domum eiusque ecclesiam accedat. Firmis quidem manentibus poenis, de quibus sub n. 2° eiusdem canonis agitur.

IX. Religiosos, apostatas a religione, ab excommunicatione can. 2385 lata ne absolvant, quamdiu extra Ordinem permanserint; attamen, si ii firmum habeant propositum ad religionem suam redeundi, congruo iisdem praefinito ad id exsequendum tempore, in foro interno absolvant, ea condicione ut in censuram recidant si intra praefinitum tempus ad religionem non redierint. At ii moneantur, se, quamdiu extra suae religionis domum commorentur, ab actibus legitimis ecclesiasticis excludi, privilegiis omnibus suae religionis privari, Ordinario loci commorationis subiici, atque obnoxios esse, etiam postquam redierint, aliis poenis in can. 2385 statutis. Religiosus autem fugitivus, etiamsi ex Constitutionibus suae religionis in excommunicationem inciderit, absolvi, rite dispositus, in foro interno poterit, imposita obligatione ad religionem quam primum redeundi, eadem ratione eademque sub reincidentiae poena, ac pro apostatis a religione cautum est: praeterea, si sit in sacris, ea lege, ut suspensionem observet can. 2386 statutam.

X. Cum de votorum commutatione agitur, id latione qua-

dam ratione accipiatur ita quidem ut paenitentiarii ac confessarii, pro sua ipsorum prudentia, in opera etiam minoris meriti vota commutare possint.

XI. A lectione librorum prohibitorum, eorum praesertim qui in can. 2318 § 1 sub excommunicationis poena vetantur, ne quemquam absolvant, nisi is libros, quos penes se retinet, Ordinario aut confessario ipsi aut alii, qui facultatem eosdem retinendi habeat, ante absolutionem tradiderit; sin minus, se eos, cum primum potuerit, destructurum aut traditurum, serio promiserit.

XII. Ad facultatem quod attinet sacras visitationes commutandi vel dispensandi, haec animadvertenda sunt:

1° Cum paenitentiarii ceterique confessarii, iusta quidem de causa, Basilicam in aliam ecclesiam commutabunt, iubilares hae visitationes haud dissimili ratione fiant, ac illae quae in Basilicis praescribuntur.

2° Cum aliquis dispensationem obtinuerit unam vel alteram Basilicam invisendi, nulla facta obligatione aliam ecclesiam per commutationem visitandi, noverit idem sacras visitationes quattuor semper habendas esse, quae proinde in reliquis Basilicis fieri debent. Dispensatio enim alicuius Basilicae visitandae idem non est ac sacrarum visitationum numeri imminutio.

3° Si quis vero, praeter dispensationem alicuius Basilicae visitandae, sacrarum etiam visitationum numeri imminutionem petat, paenitentiarii aliique confessarii tot preces eidem recitandas praescribant, quot visitationes dispensatae fuere; quae quidem preces haud absimiles illis esse debent quae in sacris visitationibus adhibentur.

4° Necesse, ceteroqui, non est invisentibus, ut per Portam Sanctam in Basilicas ingrediantur aut de iis exeant; immo, etiam Basilicis clausis vel aditu ad eas quavis de causa impedito, satis erit ad earundem fores vel gradus Deum exorare, praescriptas preces recitando. At visitatio pia ac devota sit oportet, idest facta animo Deum colendi; quem quidem animum ipsa exterior reverentia aliquo modo patefaciat.

5° Vocales preces, quae praescribuntur, alternis etiam vocibus recitari possunt. Mutis vero can. 936 consulitur.

XIII. Cum quatuor Basilicarum visitatio non sit opus per se praeceptum, sed tantummodo iis impositum qui libere velint

Iubilaei veniae participes fieri, id visitationis onus, quotiescumque a confessariis privilegiatis debet, ex rationabili causa, totum vel ex parte paententibus remitti, ne commutetur in alia opera, quae ad peragenda paenitens sit alio obligationis proprie dictae titulo adstrictus.

XIV. Confessio et Communio ad lucrandam piacularis anni veniam imperatae nihil refert utrum visitationibus quatuor Basilicarum antecedant, an interponantur vel succedant; unum refert et necesse est, ut postremum ex praescriptis opus, quod etiam Communio esse potest, in statu gratiae, ad can. 925 § 1, compleatur. Si quis igitur post confessionem peractam, ultimo nondum completo opere, in letale rursus inciderit, iteret confessionem oportet, si sacram Synaxim debet adhuc suscipere; secus, satis erit, ut, actu contritionis perfectae elicito, cum Deo reconcilietur.

XV. Suspensio facultatum specialium, per Constitutionem « Fore confidimus » die x Iulii huius anni indicta ac denuntiata, ad Urbem eiusque suburbium minime pertinet, cum summopere intersit, per Annum Sanctum, heic sacrorum operariorum copiam et auxilia paenitentibus e culparum caeno ad divinam gratiam recovandis nec imminui nec deficere. Quisquis igitur Romae eiusmodi facultatibus sit legitime munitus, eas per piacularem annum in Urbe et suburbio, intra fines concessionis sibi factae et temporis sibi praestituti, libere exerceat. — Ad indulgentiarum suspensionem quod attinet, eadem Constitutione « Fore confidimus » indictam, cum Apostolica Sedes iam dudum decreverit, nonnullas indulgentias ab usitata per Annum Sanctum suspensione eximi, Ss.mus D. N. eiusmodi indulta seu privilegia, etsi de iis in memorata Constitutione siletur, non revocat, modo authentice constet ea ipsa fuisse et revera et in perpetuum concessa, ad can. 70, 71 et 60 § 2.

XVI. Confessarii extra Urbem, qui facultatibus extraordinariis, Iubilaei causâ, per Constitutionem « Iam promulgato » donati sunt, sciant, sibi licere hisce Monitis eatenus uti, quatenus ipsis applicari possint.

Haec *Monita* ad praesentis disciplinae condicionem accommodata, Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XII in lucem edi iussit, ut constans et tuta omnibus praesto sit interpretatio et facultatum, quae vigebunt, et operum, quae praestanda

sunt ad veniam Iubilaei consequendam, per proximum piacularem annum.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die XVII mensis Septembris, anno MDCCCCXXXXIX.

N. Card. CANALI, *Paenitentiarius Maior.*

L. + S.

S. LUZIO, *Regens.*

(*A. A. S.* vol. XXXXI pp. 513-517)

II

FACULTATES

CONFESSARIIS PEREGRINIS CONCESSAE ANNO VERTENTE GENERALIS MAXIMIQUE IUBILAEI MDCCCCL.

I

Facultates speciales quae tribuuntur omnibus Confessariis *peregrinis qui iam in sua Dioecesi rite approbati sint pro utroque sexu, quibusque pro foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum uti valeant*:

1. Absolvendi quaslibet personas sibi confitentes a quibusvis peccatis et censuris a iure reservatis aut Ordinario, aut, etiam speciali modo, Romano Pontifici, *dummodo censurae publicae non sint;* iniunctis salutaribus paenitentiis atque aliis de iure iniungendis.

Ne absolvant igitur, nisi in adiunctis atque ad praescriptum can. 2254 Codicis iuris canonici, eos, qui irretiti sint aliqua censura vel Romano Pontifici personaliter, vel specialissimo modo Apostolicae Sedi reservata. Ne absolvant pariter illos, qui in censuram inciderint, de qua in can. 2388, § 1, Sanctae Sedi reservatam ad normam Decreti « Lex sacri coelibatus » per Sacram Paenitentiariam Apostolicam editi die XVIII mensis Aprilis anni MDCCCCXXXVI (cfr. *Acta Apost. Sedis,* vol. XXVIII, p. 242), itemque ad normam Declarationis ab eadem Sacra Paenitentiaria datae die IV mensis Maii anni MDCCCCXXXVII (cfr.

Acta Apost. Sedis, vol. XXIX, p. 283); vi cuius Decreti et Declarationis haec censura in casu speciali, de quo agitur, ita Sacrae Paenitentiariae reservatur, ut nemo unquam, excepto periculo mortis, ab ea absolvere possit, ne vi quidem can. 2254.

2. Commutandi in alia pia opera, ex iusta causa, omnia et singula *vota privata*, etiam iurata, exceptis iis votis privatis quae can. 1309 Apostolicae Sedi reservantur; itemque exceptis iis quorum commutatio vergeret in detrimentum tertii, aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum.

3. Concedendi dispensationem visitationis alicuius Basilicae eam commutando in visitationem, si fieri potest, alius ecclesiae, immo etiam visitationum numerum imminuendi. Quos vero recte a visitationibus dispensaverint, iis ne indulgeant, ut preces ad mentem Summi Pontificis fundendas, quae a visitatione separari quidem possunt, praetermittant. In commodum tantum aegrotantium eas liceat imminuere.

II

Facultates speciales quae Decem Confessariis *peregrinis, ab hac S. Paenitentiaria, vel ab Episcopo proprio selectis, tribuuntur ad confessiones sociorum peregrinorum accipiendas, quibusque pro foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum uti valeant*:

1. Absolvendi non solum a censuris et excessibus occultis, prout statuitur sub n. I, 1, pro omnibus confessariis peregrinis, sed etiam a censuris *quae sint publicae* in locis ubi commorati sunt paenitentes vel ibi nominatim declaratae sint aut quamvis delictum ad iudicem fori externi iam fuerit deductum, dummodo sint sincere parati quodvis mandatum demisse accipere fideliterque adimplere et scandalum reparare. Huius tamen censurae absolutio in foro externo non suffragabitur. Ne absolvant tamen, nisi ad tramitem can. 2254, praelatos cleri saecularis ordinaria iurisdictione praeditos, superioresque maiores religionis exemptae, qui in censuras *speciali modo* Romano Pontifici reservatas *publice* inciderint.

2. Dispensandi constitutos in Sacris, ad Ordines tantum exercendos, ab irregularitatibus ex delicto occulto, non exclusa irregularitate de qua in can. 985, 4°.

3. Dispensandi circa visitationes quatuor Basilicarum, easque item commutandi eodem modo ac ceteris confessariis conceditur sub n. I, 3.

4. Commutandi in alia pia opera, ex iusta causa, omnia ac singula *vota privata*, iurata quoque et etiam Sedi Apostolicae reservata. Similiter possint commutare votum castitatis perpetuae ac perfectae, etsi fuerit ab origine *publice* emissum in professione religiosa etiam solemni et firmum manserit, aliis huius professionis votis relaxatis. Nullatenus tamen ab eodem illos dispensare possint qui vi Ordinis Sacri ad legem coelibatus tenentur, etiamsi ad statum laicalem redacti sint. A commutatione votorum se abstineant si commutatio tertio praeiudicium afferat ac minus arceat a peccato quam ipsa commutatio.

5. Dispensandi ab occulto impedimento consanguinitatis in tertio vel secundo gradu collaterali, etiam attingente primum, quod ex generatione illicita proveniat, solummodo ad matrimonium convalidandum, non vero ad contrahendum vel sanandum in radice.

6. Dispensandi ab occulto criminis impedimento, neutro machinante, sive agatur de matrimonio contracto sive de contrahendo, iniuncta, in primo casu, privata renovatione consensus, secundum can. 1135; imposita, in utroque, gravi ac diuturna paenitentia salutari.

MONITA

DE USU FACULTATUM CONFESSARIIS PEREGRINIS TRIBUTARUM

1. His facultatibus specialibus confessarii peregrini ubicumque in Urbe et suburbio, servatis can. 908-910 et de consensu rectorum ecclesiarum, cum sociis peregrinis uti poterunt, ita tamen ut eas valide exercere valeant si unus vel alter peregrinus non socius, cum peregrinis sociis, ad ipsos confitendi causa accedat.

2. Item his facultatibus tantummodo uti poterunt erga paenitentes qui ad confitendum accedant *ea mente et sincera voluntate* ut Iubilaei veniam consequantur; attamen si paenitens, mutato proposito, ab acquirenda indulgentia Iubilaei destiterit atque cetera opera imperata intermiserit, omnes abso-

lutiones censurarum, si eas excipias quae ad reincidentiam datae sint, itemque commutationes et dispensationes concessae in suo robore permaneant.

3. Similiter his facultatibus absolvendi a peccatis et censuris reservatis itemque dispensandi ab irregularitatibus nonnisi *semel* cum eodem paenitente uti poterunt, cum ipse scilicet Iubilaei veniam primum lucretur et tum solummodo cum paenitens iam ab alio confessario, facultatem habente per anni sancti decursum, a peccatis et censuris non fuerit absolutus vel ab irregularitate iam dispensationem non obtinuerit. Ceteras vero facultates — eam etiam visitationes contrahendi aut commutandi ad datam normam sub n. I, 3 — in favorem etiam eiusdem paenitentis semper exercere poterunt.

4. Firmae et immutatae remaneant facultates quas omnes confessarii peregrini per S. Paenitentiariam vel alio legitimo modo consecuti sunt vel consequentur.

5. Haereticos et schismaticos qui fuerint publice dogmatizantes ne absolvant nisi ii, praeter haeresis et schismatis abiurationem, saltem coram ipso confessario factam, scandalum, ut par est, reparaverint. Ne absolvant praeterea eos qui in rerum adiunctis versantur, de quibus agitur in Decreto Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, die 1 mensis Iulii anni MDCCCCXXXXIX edito, de Communismo (cfr. *Acta Apost. Sedis*, vol. XXXXI, pag. 334), nisi eodem modo, uti supra, resipuerint.

6. Ne absolvant eos qui sectis vetitis, massonicis aliisve id genus, nomen dederint, etiamsi occulti sint, nisi, abiurata, saltem coram ipso confessario, secta, scandalum reparaverint et a quavis activa cooperatione vel favore suae cuiusque sectae praestando cessaverint; nisi ecclesiasticos et religiosos, quos sectae adscriptos noverint, ad can. 2336, § 2, denuntiaverint; nisi libros, manu scripta et signa, quae eamdem sectam respiciant, quotiescumque adhuc retineant, absolventi tradiderint aut se ea tradituros vel destructuros serio promiserint, imposita, pro modo culparum, gravi paenitentia salutari.

7. A lectione librorum prohibitorum ne quemquam absolvant, nisi is libros, quos penes se retinet, Ordinario aut confessario tradiderit aut se eos traditurum vel destructurum serio promiserit.

8. Si quis in occultas censuras ob partem quoquo modo laesam inciderit, eum ne ante absolvant, quam parti laesae,

etiam scadalunm reparando damnumque sarciendo, satisfecerit: aut saltem, si eiusmodi satisfactionem praestare ante non possit, vere graviterque promiserit se, cum primum licuerit, satisfacturum.

9. Si de casu agatur, etiamsi occulto, de quo ad can. 2342, prohibeant, sub poena reincidentiae, quominus in posterum accedant ad religiosam domum illam eiusque ecclesiam.

10. Eos, qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisiverint, ne absolvant nisi aut iis restitutis aut compositione quamprimum a competente auctoritate postulata, aut promissione sincere facta eamdem postulandi, nisi agatur de locis, in quibus a Sede Apostolica aliter iam provisum fuerit.

11. Non praetermittant suam cuique paenitenti salutarem paenitentiam sacramentalem imponere, etiamsi sibi coniicere iure liceat paenitentem plenissimam Iubilaei veniam esse consecuturum.

12. Confessio et Communio ad lucrandam Iubilaei indulgentiam nihil refert utrum visitationibus quatuor Basilicarum antecedant, interponantur vel succedant; unum necesse est ut postremum ex praescriptis opus, quod etiam Communio esse potest, in statu gratiae, ad can. 925, § 1, compleatur. Ab obligatione praescriptae confessionis neminem exsolvant; neque fas est, Communionem in alia pia opera commutare, nisi agatur de aegrotis.

13. Visitationem Basilicarum ne commutent in alia opera, quae ad peragenda paenitens sit alio obligationis propriae dictae titulo adstrictus; et sciant se conscientiam suam oneraturos si inconsulto aut sine iusta causa paenitentem ex eiusmodi visitationibus exemerint.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die XVII mensis Septembris, anno MDCCCCXXXXIX.

N. Card. CANALI, *Paenitentiarius Maior.*

L. + S.

S. LUZIO, *Regens*

(*A. A. S.* vol. XXXXI pp. 518-521)

ADNOTATIONES

Summarium: 1. De iubilaeo in genere: notio, origo, divisio, definitio, finis, conditiones, temporis spatium. — 2. De iubilaeo an. MDCCCCL: finis. — 3. Suspenduntur indulgentiae et facultates. — 4. Conceduntur facultates peculiares: Paenitentiariis, confessariis, confessariis peregrinis. — 5. Prospicitur impeditis. — 6. Opera enumerantur ad iubilaeum lucrandum imposita. — 7 Aliquot exhibentur responsiones. — 8. Concluditur huius rei expositio.

In festo Ascensionis D. N. I. C. anni superioris in quattuor patriarchalibus Urbis Basilicis sollemniter promulgatae fuerunt Litterae Apostolicae *Iubilaeum maximum*... d. d. 26 maii 1949 [1], vi quarum Anni Sancti millesimi nongentesimi quinquagesimi iubilaeum universale indictum est.

Per subsequentes Litteras Apostolicas notae factae sunt conditiones peculiares ab Apostolica Sede ut necessariae impositae ad iubilaei veniam assequendam.

Priusquam de his sermonem instituamus, opportunum ducimus aliqua de iubilaeo in genere, quam brevissime, in memoriam revocare.

1. Nomen *iubilaeum*, si etymologiam spectes, iuxta non paucos auctores, ortum habuit a verbo hebraico *jobel*, quod arietis nomen significat, eo quod apud Iudaeos annus sabbaticus indicebatur a Sacerdotibus per sonum parvae tubae, quae praefati cornus formam habebat quaeque *buccina iubilaeorum* appellabatur: ex laeto huius buccinae sonu nomen venit Iubilaeum seu iubilum. « Annus iubilaeus, annus iubili, ita dictus a clangore tubarum... Tubarum enim clangor, quo hic annus populo annuntiabatur, nihil aliud quam publicae laetitiae interpres erat » [2].

Si vero iubilaei originem spectes, ipsum a Veteris Testamenti temporibus repetendum est. Legitur enim: « Sanctificabisque annum quinquagesimum et vocabis remissionem cunctis habitantibus terrae tuae; ipse est enim iubilaeus... Revertatur homo ad possessionem suam et unusquisque redeat ad familiam pristinam, quia iubilaeus est et quinquagesimus annus » [3]. Quoad formam hodiernam tamen Iubilaeum primum indictum fuit an. 1300 a Bonifacio VIII, qui per Constit. Apost. *Antiquorum habet fida relatio* statuit ut iubilaeum quolibet exeunte saeculo celebraretur. Deinde

---

[1] AAS., XXXXI, 257 ss.

[2] G. Gesenii, *Thesaurus philologicus criticus linguae hebraicae et chaldeae Veteris Testamenti*. T. II, p. 561b art. 562a.

[3] *Liber Levitici*, XXV, 10.

Clemens VI decrevit ut haec celebratio locum haberet sub medietatem saeculi; Urbanus VI in memoriam D. N. I. C. annorum trigesimo tertio quoque anno et tandem Paulus II quovis vigesimo quinto anno. .

Iubilaeum dividitur in: a) *ordinarium* et *extraordinarium* seu extra ordinem, prout vigesimo quinto quoque anno indicitur, quo in casu *Annus Sanctus* appellatur, vel ob aliquod peculiaris momenti eventum; b) in *universale* et *particulare*, prout pro toto orbe vel pro loco particulari tantum celebratur.

Iubilaeum ordinarium seu maius sollemniter promulgatur per Constitutionem Apostolicam, quae *Bulla indictionis* appellari solet, quamque aliae tres sequuntur Constitutiones; in iubilaeo extraordinario vero una tantum habetur Constitutio Apostolica.

Si iubilaei petas definitionem, ipsum dupliciter accipi potest, i. e. quoad temporis spatium, quo durante iubilaris indulgentia acquiri potest, vel quoad ipsam indulgentiam, quo in casu definitur: *Sollemnis indulgentia plenaria cum adnexis peculiaribus facultatibus pro confessariis in favorem fidelium iubilaeum lucrantium.* Quae tamen indulgentia plenaria dicitur sollemnis, non quia ab aliis indulgentiis plenariis differt, cum entitative sit eadem, sed ratione sollemnitatis promulgationis [4].

Quodlibet iubilaeum proprium habet finem peculiarem, qui semper tendit ad aliquod magnum assequendum bonum spirituale pro Ecclesia et pro humana societate.

Opera, quae ad iubilaei veniam assequendam apponuntur, eadem sunt quae in indulgentiis plenariis acquirendis apponi solent, videlicet: confessio, Communio, ecclesiarum visitatio et precum recitatio; in iubilaeo vero extraordinario iis operibus addi solent ieiunium et eleemosyna.

Iubilaeum ordinarium initium capit in Urbe a primis vesperis Nativitatis Domini, dum Romanus Pontifex magna cum sollemnitate Basilicae Vaticanae *Portam Sanctam* aperit et protrahitur per totum subsequentem annum usque ad primas Natalis Domini vesperas, cum Porta sancta clauditur. In aliis tribus maioribus Basilicis, i. e. S. Ioannis in Laterano, S. Mariae Maioris in Exquiliis et S. Pauli extra moenia portae sanctae eodem tempore a tribus Cardinalibus Legatis *a latere* panduntur. Expleto anno, iubilaeum ceteris orbis catholici regionibus extendi solet per aliquot menses, qui fere semper sunt sex. Iubilaeum vero extraordinarium eodem

---

[4] S. de Angelis, *De Indulgentiis. Tractatus quoad earum naturam et usum*, Colle Don Bosco, 1947, pag. 110 ss. - F. Beringer, *Les Indulgences, leur nature et leur usage*, Paris 1925, p. 569 ss. - Theodorus a Sp. S., *Tractatus historicus theologicus de Iubilaeo.* Roma, 1750.

tempore toti orbi indicitur et nulla habetur Portae sanctae apertio.

His praemissis, gradum facimus ad iubilaeum ordinarium anni millesimi nongentesimi quinquagesimi.

2. Ut innuimus, hoc iubilaeum in festo Ascensionis D. N. I. C., prout de more, indictum est per Constit. Apost. *Iubilaeum maximum*... diei 26 maii huius anni [5]. Quam aliae tres subsecutae sunt Constitutiones Apostolicae, anno iubilari vertente valiturae, videlicet: 1) *Fore confidimus*... d. d. 10 iulii 1949 [6], qua indulgentiae et facultates suspenduntur; 2) *Decessorum Nostrorum*... eadem die data [7], qua Paenitentiariis aliisque in Urbe confessariis extraordinariae conceduntur facultates; 3) *Iam promulgato*... eiusdem diei [8], qua indulgentia huius Anni Sancti conceditur monialibus aliisque stabili impedimento detentis cum opportunis facultatibus circa absolutiones et votorum commutationes. Quibus publicis tabulis addenda sunt *Monita* a S. Paenitentiaria Apostolica die 17 septembris 1949 data [9], quae usum facultatum confessariis per Annum Sanctum tributarum moderantur ac faciliorem reddunt veniae iubilaris adeptionem.

De his dicemus quae maioris videntur utilitatis.

Etiam quoad hoc maximum ac universale iubilaeum remanent ut fundamentum regulae, quas dedit Benedictus XIV in variis Bullis; quibus regulis Romani Pontifices temporum decursu usi sunt in singulis iubilaeis celebrandis.

In hoc anno piaculari indicendo finis a Summo Pontifice intentus multiplex est, videlicet: ut omnes precando ac paenitendo universalem ad Christum reditum properent; ut fidelitas Divino Redemptori debita ab omnibus retineatur; ut Ecclesiae iura inviolata serventur; ut qui in Ecclesia non sunt vel contra Ecclesiam agunt adducantur ad Evangelii praeceptis obtemperandum; ut tranquillitas ubique terrarum ac praesertim in sacris Palestinae locis quamprimum constabiliatur; ut civium ordines iustitia ac fraterna concordia invicem coniungantur; ut indigentium multitudines a suo labore habeant ut honeste vivant atque ex largitate caritateque eorum, qui divites sunt, necessaria ac opportuna assequantur adiumenta [10].

3. Prout innuimus, per Constit. Apost. *Fore confidimus*... hoc anno sacro vertente, indulgentiae sive plenariae sive partiales suspenduntur; paucae sunt exceptae, quae fere semper eaedem sunt

---

[5] AAS.. loc. cit.
[6] Ib., XXXXI, 337.
[7] Ib., 340.
[8] Ib., 345.
[9] Ib., 513.
[10] Const. Apost. *Iubilaeum maximum*, ib. p. 259.

in singulis iubilaeis quaeque in praefata Constitutione enumerantur [11]. Ad hoc iubilaeum quod attinet, notabilis est, quia peculiaris, exceptio quoad indulgentiam partialem septem annorum et plenariam menstruam concessas fidelibus precem recitantibus a Summo Pontifice compositam pro iubilaeo, de quo sermonem facimus [12].

Sedulo tamen advertendum est quod suspenduntur utique indulgentiae pro vivis non vero pro defunctis, uti est, e. g., indulgentia Altaris privilegiati. Immo omnes alias indulgentias, quae extra Annum Sanctum a fidelibus acquiri possunt quaeque proinde iubilaeo perdurante pro ipsis suspensae manent, potest fidelis assequi, dummodo animabus in Purgatorio detentis eas applicet. Sequitur e. g. quod anno iubilari vertente Praelati, de quibus in can. 914, possunt Benedictionem Papalem, de qua in eodem canone, impertiri cum adnexa plenaria indulgentia, quae tamen fidelibus defunctis applicanda est.

Notandum pariter est quod si quae sint indulta seu privilegia, vi quorum in certis locis nonnullae indulgentiae ab usitata per Annum Sanctum suspensione eximuntur, ipsa non revocata censenda sunt, etsi de ipsis nulla sit mentio in Constitutione, dummodo tamen authentice constet ea ipsa fuisse et revera in perpe-

---

[11] Videlicet: I. Indulgentia *in articulo mortis* lucranda. II. Ea, qua frui omnibus licet, qui cum primo diluculo, tum meridiano tempore, tum sub vesperas vel cum primum postea potuerint, precationem « Angelus Domini », vel pro temporis ratione « Regina caeli », vel, si neutrum fieri potest, quinquies *Salutationem Angelicam* « Ave Maria » recitaverint (Indulgentia partialis decem annorum *toties quoties* et plenaria semel in mense, suetis conditionibus). III. Indulgentiae iis tributae, qui pie templa inviserint, ubi Sacramentum augustum *quadraginta horarum* spatio adorandum proponitur (Indulgentia partialis quindecim annorum *toties quoties* et plenaria semel in die, singulis expositionis diebus, additis sacramentali confessione et sacra Communione). IV. Indulgentiae quas] eos lucrari decretum est, qui Sacramentum augustum, cum ad aegrotos defertur, comitentur, aut facem vel cereum per alios ferendum ea occasione mittant (Indulgentia partialis septem annorum, si cum lumine SS. Eucharistiae Sacramentum comitati fuerint; quinque annorum, si absque lumine Idem comitati fuerint; trium annorum, si aliquo detenti impedimento, cum SS.mum Sacramentum comitari nequiverint, alium ea occasione lumen deferentem miserint). V Indulgentia, *toties quoties* lucranda, iis concessa, qui sacellum Portiunculae in templo S. Mariae Angelorum, prope Asisium, pietatis causa, adierint. VI. Indulgentiae iis concessae, qui precem recitaverint a Summo Pontifice compositam pro hoc Anno Sancto (Indulgentia septem annorum *toties quoties* et plenaria semel in mense, suetis conditionibus lucranda). VII. Indulgentiae, quas S. R. E. Cardinales, Apostolicae Sedis Nuntii, vel Internuntii, ac Delegati Apostolici, itemque Archiepiscopi, Episcopi, Abbates vel Praelati *nullius*, Vicarii et Praefecti Apostolici in usu Pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma usitata largiri solent. (Const. Apost. *Fore confidimus*...; AAS., XXXXI, 338. - *Preces et Pia opera*... ed. 1938, pp. 201 ss., 83, 64).

[12] Const. Apost. *Fore confidimus*, ib., 338.

tuum concessa ad norman can. 70, 71 et 60 § 2 [13]. Quod contingit v. g. in Italia quoad Almam Domum Lauretanam et in Hispania quoad Sanctuarium in « Monserrat » curae Congregationis Casinensis O. S. B. concreditum, quae hoc privilegio ab Apostolica Sede donata sunt.

Una cum indulgentiis suspenduntur, extra Urbem eiusque suburbium, facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Romano Pontifici et Apostolicae Sedi reservatis, relaxandi censuras, dispensandi a votis eademque commutandi, dispensandi ab irregularitatibus et impedimentis, cuilibet quoquo modo concessa.

Paucae tantum ex iis facultatibus eximuntur, v. g. facultates quas S. Paenitentiaria Apostolica concedere solet Ordinariis aut confessariis pro foro interno, quibus tamen facultatibus confessarii uti possunt erga paenitentes tantum, qui tempore quo confessionem peragunt, iudicio Ordinarii aut confessarii nequeant sine gravi incommodo Urbem petere.

Facultates et indulta suspenduntur extra Urbem et suburbium; indulgentiarum vero suspensio valet etiam in Urbe et suburbio.

Quae suspensiones sive indulgentiarum sive facultatum eo diriguntur ut fideles magis alliciantur, Anno Sancto perdurante, ad Urbem petendam iubilaei veniam lucrandi causa.

4. Constitutio Apostolica *Decessorum Nostrorum...* nobis exhibet peculiares facultates Paenitentiariis aliisque in Urbe et suburbio confessariis concessas. Et hoc, prout in praefata Constitutione legitur, ut etiam illis, qui gravioribus criminibus sunt impliciti, reditus ad bonam frugem et ad christianam virtutem facilior reddatur.

Praeter paenitentiarios minores ordinarios atque extraordinarios quattuor Basilicarum Lateranensis, Vaticanae, Ostiensis, Liberianae alios Cardinalis Paenitentiarius Maior deputare potest tam in memoratis quattuor Basilicis quam in reliquis sive saecularium sive regularium ac variarum nationum per Urbem ecclesiis. Quibus addendi sunt, ad numerum Paenitentiariorum complendum, S. Paenitentiariae Apostolicae Praelati; eiusdem S. Tribunalis officiales ex utraque sectione, modo sint ad audiendas fidelium confessiones in Urbe habitualiter adprobati; singuli Urbis ac suburbii parochi; rectores et confessarii, a Vicariatu adprobati, ecclesiarum nationalium ac nonnulli confessarii pro praecipuis celebrioribusque Urbis templis.

Quae facultates, ad religiosorum utilitati uberius consulendum, concessae pariter sunt, pro Ordinibus ac Congregationibus exemptis, aliquibus ex confessariis, quos Superiores adprobaverint,

---

[13] S. Paenit. Apost., *Monita*, AAS., XXXXI, 517, XV.

ad norman can. 518, pro sodalibus tantum suae religionis aliisve fidelibus, qui in domo religiosa diu noctuque degunt causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis (can. 514 § 1)[14].

Ut autem, anno piaculari perdurante, multiplicentur operarii ad maiora animarum lucra comparanda, omnibus confessariis ad annum adprobatis a Cardinali Vicario, itemque omnibus confessariis regularibus exemptis, quos Superiores adprobaverint pro religionis propriae sodalibus ac omnibus extraneis in religiosis domibus diu noctuque commorantibus, extraordinariae tributae sunt facultates[15].

Paenitentiarii ampliore harum facultatum usu gaudent quam simplices confessarii: hi enim iisdem uti possunt in sacramentali confessione tantum; paenitentiarii vero etiam in foro interno extra sacramentali, dummodo de peculiaribus facultatibus ne agatur, pro quibus sacramentalis confessio expresse requiratur. Urbis tamen et suburbii parochi, qui, uti diximus, et ipsi paenitentiariis annumerantur, peculiarem habent facultatem iubilares visitationes dispensandi, contrahendi ac commutandi ad normam memoratae Constitutionis, sub n. X, non modo cum paenitentibus sed cum singulis fidelibus ac singulis paroeciae suae familiis[16].

Omnes vero sive Paenitentiarii sive simplices confessarii iis facultatibus uti valent dumtaxat in excipienda iubilaei confessione et cum fidelibus qui animum habent iubilaeum lucrandi. Attamen si paenitens, mutato proposito, cetera opera ad iubilaeum lucrandum imperata intermiserit atque ab eo lucrando omnino destiterit, omnes censurarum absolutiones, exceptis illis quae ad reincidentiam datae sunt, votorum commutationes et dispensationes concessae in suo robore manent.

Praeterea iidem Paenitentiarii ac confessarii facultatibus absolvendi a peccatis et ab ecclesiasticis censuris itemque dispensandi ab irregularitatibus cum eodem paenitente semel tantum uti possunt, cum sc. iubilaei veniam primum lucretur. Ceteris vero facultatibus, non excepta ea visitationes contrahendi aut commutandi, pluries, etiam in favorem eiusdem paenitentis, uti valent[17].

Quibus omnibus facultatibus ipsi uti poterunt etiam extra ecclesiam, cui addicti sunt, si contingat eos alibi confessiones excipere, servatis tamen normis de loco ad confessiones excipiendas, de quibus in can. 908-910.

---

[14] Const. Apost. *Decessorum Nostrorum*, ib., 343, XIII.
[15] Ib., 344, XV.
[16] S. Paenit. Apost., *Monita*, ib., 514, I.
[17] Const. Apost. *Decessorum Nostrorum*, ib., 344, XIV.

Tandem ut citius et facilius bono consulatur fidelium, qui in comitatu Urbem petunt ad hanc iubilaei veniam assequendam, peculiares facultates ab Apostolica Sede tributae sunt omnibus confessariis peregrinis, qui in propria dioecesi rite iam adprobati fuerint pro utroque sexu itemque ampliores facultates pariter tributae sunt decem confessariis peregrinis, a S. Paenitentiaria vel a proprio Episcopo selectis, quibus facultatibus pro foro conscientiae et in sacramentali confessione ipsi uti valeant, servatis praeterea clausulis quibus Paenitentiarii ac confessarii, de quibus modo diximus, tenentur [18].

Quae facultates confessariis peregrinis concessae quammaxime aptae ductae sunt ad confessionis integritatem habendam; hi enim sacerdotes, ob plenam morum institutorumque locorum cognitionem maxime idonei sunt ad confessiones propriae terrae fidelium audiendas: non pauci ex peregrinis, quia rudes indoctique, ac praesertim mulierculae, loqui nesciunt nisi lingua vernacula.

5. In tam sollemni ac salutifera anni sacri celebratione benigna mater Ecclesia, quae semper fuit et est quammaxime sollicita de animarum bono suorum filiorum, oblivisci non poterat tot fidelium dilectorum, qui, gravi detenti impedimento, prohibentur quominus peregrinationem romanam suscipiant. « Hi sunt, legitur in Constit. *Iam promulgato*, qua iisdem consulitur, non modo qui vitam contemplationi deditam in claustralibus saeptis traducunt, sed qui etiam ob senilem aetatem, vel infirmam valetudinem itineris incommoda tolerare non possunt; qui in exsilio, in captivitate, in publica custodia detenti, vel alia de causa, adveniendi libertate non fruuntur; qui denique tam misere anguntur sorte, ut necessarias impensas facere non valeant » [19]. His omnibus, inter quos adnumerantur fideles, qui in illis commorantur nationibus, a quibus ob peculiaria rerum adiuncta nefas est discedere ut Romanam valeant suscipere peregrinationem, facultas pariter facta est caelestibus fruendi largitionibus, quas fideles per integrum piacularem annum consequi valent.

Fas igitur est unicuique eorum sibi eligere confessarium a suo Ordinario adprobatum, cui pro confessione tantum ad iubilaei veniam lucrandam instituta, potestas facta est hos fideles absolvendi in foro sacramentali tantum a quibusvis censuris et peccatis etiam speciali modo a iure Apostolicae Sedi reservatis, aut Ordinario reservatis, excepto casu haeresis formalis et externae. Si vero agitur de confessario, quem monialis sibi elegerit, potestas ipsi facta est dispensandi a votis privatis, quae ea ipsa post professionem

---

[18] AAS., ib., 518, 519.
[19] Ib., 345.

sollemnem nuncupaverit quaeque regulari observantiae non adversantur.

Qui confessarii praeterea commutare possunt « omnia vota privata etiam iurata, quibus Sorores in Congregatione votorum simplicium, Oblatae, Tertiariae regulares, puellae et mulieres communibus domibus vitam agentes, sese obstrinxerint, iis votis exceptis quae Apostolicae Sedi reservata sint, et iis, quorum aut dispensatio vergeret in detrimentum tertii aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum » [20].

6. Opera ad iubilaei veniam assequendam imposita sunt: confessio, Communio, Basilicarum visitatio et precum recitatio.

Confessio. Quae sequuntur notanda sunt: a) Cum agitur de opere iniuncto, confessio peragi debet etiam ab iis, qui materiam necessariam non habent [21]. b) Non valet confessio annua seu paschalis [22], nec confessio bis in mense peracta, de qua in can. 931 § 3; requiritur confessio *actualis,* quae peragi debet intra tempus ad iubilaei veniam lucrandam statutum. c) Non acquiritur iubilaei venia per confessionem invalidam [23].

Non satisfacit duplici praecepto confessionis annuae et iubilaris fidelis, qui bis confessarium adit in ordine ad unicam absolutionem.

Quamvis commendanda, non requiritur confessio sic dicta *generalis* ad iubilaei veniam assequendam.

In hac confessione salutaris imponenda est paenitentia.

Communio. Prout de confessione diximus, Communio paschalis non valet, nisi agatur de paenitenti, qui paschale praeceptum neglexit. Legitur enim in Constit. *Decessorum Nostrorum:* « Qui tamen paschale praeceptum misere neglexerit, possit is deinde una Communione utrique obligationi satisfacere » [24].

Hanc Communionem in alia pia opera commutare nefas est, nisi agatur de aegroto, qui ab ea suscipienda prorsus impediatur [25]. Valet Communio per modum Viatici ministrata [26].

Basilicarum visitatio. Ecclesiae visitandae sunt: Basilicae S. Petri, Lateranensis, Liberiana, S. Pauli extra moenia.

Quae tamen visitatio, admonet nos S. Paenitentiaria Apostolica, pia ac devota sit oportet, idest facta animo Deum colendi:

---

[20] Ib., 348, IX.
[21] Const. Apost. *Decessorum Nostrorum,* ib., 343, XI.
[22] Ib.
[23] Ib., Decr. auth., 295 ad 2.
[24] Const. Apost. *Decessorum Nostrorum,* loc. cit., 343, XII.
[25] Ib.
[26] Ib.

quem quidem animum ipsa exterior reverentia aliquo modo patefaciat [27].

Secus ac in postremo ac generali Iubilaeo an. 1925 celebrato, quo durante ad indulgentiam iubilarem acquirendam praefatae patriarchales Basilicae vicies pro Romae incolis et decies pro advenis visitandae erant, nunc satis erit semel tantum has easdem ecclesias visitare vel eodem die, vel diversis diebus, quovis ordine servato, facta praeterea potestate pro fidelibus qui, sive morbo sive alia legitima causa in Urbe vel in ipso itinere prohibiti vel morte interim praerepti, statutum visitationum numerum nondum compleverint vel ne inchoaverint quidem, iubilaei veniam consequendi, perinde ac si praefatam Basilicarum visitationem ex integro peregerint, dummodo confessi S. Synaxi refecti fuerint [28].

Ad fideles vero impeditos quod attinet, loco visitationis Urbis quattuor Basilicarum satis erunt alia religionis, pietatis caritatisque opera, quae Ordinarius, attentis singulorum condicione et valetudine ac loci temporisque rationibus, per se ipse vel per prudentes confessarios iniunxerit [29].

Necesse non est ut fideles per Portam Sanctam in Basilicas ingrediantur aut ex iis exeant: quinimmo si ecclesiarum ostia sint clausa vel aditus ad eas quavis de causa possibilis non sit « satis erit ad earundem fores vel gradus Deum exorare, praescriptas preces recitando » [30].

Quoad has visitationes tamen quae sequuntur tenenda sunt: 1) Fidelis, qui a Paenitentiariis aliisque confessariis, iusta quidem de causa, commutationem unius ex Basilicis in aliam ecclesiam obtinuerit, iubilares huiusmodi visitationes non dissimiles esse debent visitationibus, quae in Basilicis visitandis persolvendae sunt. 2) Cum aliquis dispensationem obtinuerit unam vel alteram Basilicam invisendi, nulla facta obligatione aliam ecclesiam visitandi, tenetur semper quattuor peragere visitationes; imminutio enim numeri Basilicarum visitandarum non significat visitationum numeri imminutionem. Si ipse igitur per dispensationem facultatem obtinuerit unam tantum Basilicam invisendi, hanc ipsam Basilicam quater visitare tenetur. 3) Si quis vero, praeter alicuius Basilicae visitandae dispensationem, simul petat visitationum numeri imminutionem, Paenitentiarii aliique confessarii tot preces recitandas praescribere tenentur quot fuerunt visitationes dispensatae; quae

---

[27] S. Paenit. Apost., *Monita*, ib., XII, 4.
[28] Const. Apost. *Iubilaeum maximum*, 259.
[29] Const. Apost. *Iam promulgato*, 347, IX.
[30] S. Paenit. Apost., *Monita*, XII, 4.

quidem preces eaedem esse debent quae in visitandis Basilicis imperatae sunt [31].

Sedulo advertendum est, secus ac aliqui opinantur, quod si quis, in adimplendis operibus ad iubilaeum lucrandum impositis, bis Basilicarum visitationem peragat, non potest, iubilaei venia adepta, altera visitatione iam peracta uti ad iubilaeum iterum assequendum; oportet enim ut ipse iubilaei indulgentiam iam adeptus sit ut possit denuo praescripta ponere opera ad eandem indulgentiam iterum assequendam. Proposito enim dubio: « Utrum nonnulla vel etiam omnia opera pro altero iubilaeo aquirendo fieri possint antequam inchoata opera pro primo absolvantur » responsum fuit: *Negative.* (*A. A. S.*, XXV, pag. 343).

Huiusmodi ecclesiarum visitationem commutare in opus aliunde debitum nefas est [32].

Potest fidelis Basilicas adire quoquo modo, sc. pedibus, curru vel autocineto ductus etc.

Precum recitatio. — Generatim preces, quae ad iubilaei veniam assequendam requiruntur, non sunt determinatae sed earum selectio ut libet relinquitur. Aliter vero dicendum est quoad iubilaeum quod nunc inspicimus; preces enim sunt determinatae, nam oportet ter preces *Pater Ave Gloria,* semel praeterea *Pater Ave Gloria* ad mentem Summi Pontificis et formulam *Credo* in unaquaque ex quattuor Basilicis recitare [33].

In persolvenda harum precum recitatione non requiritur ut fidelis sciat quaenam sit Summi Pontificis mens: satis est implicite et generatim orare ad Summi Pontificis mentem [34].

Huiusmodi preces: a) debent esse, saltem ex parte, vocales; mentales tantum non sufficiunt [35]; b) possunt alternis vocibus recitari; c) non debent esse ex alia lege praeceptivae; d) non oportet ut flexis genibus recitentur.

Mutis consulitur can. 936, ita ut satis sit pro ipsis, si una cum aliis fidelibus Basilicas visitent, ut mentem ac pios sensus ad Deum attollant; si vero privatim, ut preces mente recolant signisve effundant vel tantummodo oculis percurrant.

Nullus requiritur ordo in operibus imperatis explendis; hoc unum necesse est ut opus postremum, quod etiam Communio esse

---

[31] Ib., XII, 3.
[32] Ib., XIII.
[33] Const. Apost. *Iubilaeum maximum*, 258.
[34] AAS., XVI, 342, XVI.
[35] Bened. XIV. Bulla *Convocatis*, n. 5. Can. 934 § 1.

potest, ad normam can. 925 § 1, in statu gratiae ponatur. Si quis igitur post confessionem peractam sed ultimo opere nondum expleto, rursus in letale inciderit, confessionem iterare tenetur, modo S. Communionem debeat adhuc suscipere: secus satis erit ut, actu contritionis perfectae elicito, cum Deo reconcilietur [36].

7. S. R. E. Cardinales ac Episcopi, ad iubilarem indulgentiam assequendam, frui nequeunt facultate per can. 239 § 1 n. 11 et can. 349 § 1 ipsis concessa, nequeunt sc. visitationes ad iubilaeum lucrandum praescriptas in propriis sacellis peragere. Et hoc quia huiusmodi indulgentia specialissimae est naturae, quae propriis regitur regulis, unde inclusa non censetur in concessione generali, nisi expressa de ipsa mentio facta fuerit. Revera Apostolica Sedes singulis vicibus Cardinalibus, non vero Episcopis, hoc indultum concedere solet.

Quaestio, quae a quibusdam auctoribus agitatur, an sc. pueri, qui nondum ad primam Communionem admissi sunt, valeant iubilaei veniam assequi, nobis videtur otiosa. Pueri enim, qui rationis usum nondum attigerunt ideoque peccare non possunt, ad iubilaeum, sicut ceteras indulgentias, assequendum capaces non sunt: indulgentia, ut scis, est remissio poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis... (can. 911). Si vero pueri sunt compotes sui ideoque peccare possunt, ad iubilaei veniam assequendam ipsi omnia tenentur persolvere opera imposita, Communione non excepta, sicut reliqui fideles.

Hanc iubilaei veniam christifideles toties assequi valent, quoties imperata opera, quovis ordine servato, praestiterint, videlicet quoties Basilicarum visitationem peregerint, precum statutarum recitationem persolverint, admissa sua confessi fuerint ac eucharisticam Mensam participaverint.

8. Nihil opportunius putamus, dum has perficimus notas, quam suavissima memorare verba, quae Summus Pontifex in hoc maximo generalique iubilaeo indicendo cuncto populo christiano magna cum benevolentia fudit, sicut pater amantissimus, qui magno cum gaudio filios suos carissimos in paternam convocat domum ut peculiare faustissimumque eventum valeat cum ipsis celebrare. « Iam nihil aliud, dilecti filii, reliquum est, ait Beatissimus Pater, nisi ut vos paterna invitemus voluntate ut Romam per piacularis anni decursum frequentissimi conveniatis; Romam dicimus, quae christifidelibus cuiusvis nationis veluti altera patria est, ubi locum, in quo Apostolorum Princeps post factum marty-

---

[36] S. Paenit. Apost., *Monita*. A A S., XXXXI, 516, XIV.

rium conditus fuit, venerari queunt, ubi sacra martyrum hypogea, ubi templa praeclarissima, ubi avitae fidei avitaeque pietatis monumenta cernere possunt, ac communem Patrem visere, qui brachia ad eos pandens, amantissimo animo eorum adventum praestolatur » [37].

SERAPHINUS de ANGELIS
Substitutus S. Paenitentiariae Apostolicae.

---

[37] - Constit. Apos. *Iubilaeum maximum*. 260.

S. CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

Quaesitum est ab hac Suprema Sacra Congregatione:

1. utrum licitum sit partibus communistarum nomen dare vel eisdem favorem praestare;

2. utrum licitum sit edere, propagare vel legere libros, periodica, diaria vel folia, quae doctrinae vel actioni communistarum patrocinantur, vel in eis scribere;

3. utrum christifideles, qui actus de quibus in nn. 1 et 2 scienter et libere posuerint, ad Sacramenta admitti possint;

4. utrum christifideles, qui communistarum doctrinam materialisticam et antichristianam profitentur, et in primis qui eam defendunt vel propagant, ipso facto, tamquam apostatae a fide catholica, incurrant in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam.

E.mi ac Rev.mi Patres, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, in consessu plenario feriae III (loco IV), diei 28 Iunii 1949, respondendum decreverunt:

Ad 1. *Negative*: communismus enim est materialisticus et antichristianus; communistarum autem duces, etsi verbis quandoque profitentur se Religionem non oppugnare, re tamen, sive doctrina sive actione, Deo veraeque Religioni et Ecclesiae Christi sese infensos esse ostendunt;

Ad 2. *Negative*: prohibentur enim ipso iure (cfr. can. 1399 C. I. C.);

Ad 3. *Negative*, secundum ordinaria principia de Sacramentis denegandis iis qui non sunt dispositi;

Ad 4. *Affirmative.*

Et sequenti feria V, die 30 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XII, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo D.no Adsessori S. Officii impertita, relatam

Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et in Actorum Apostolicae Sedis Commentario Officiali promulgari iussit.

Datum Romae, die 1 Iulii 1949.

L. + S.

PETRUS VIGORITA, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

(*A. A. S.* vol. XXXXI p. 334)

DECLARATIO

DE COMMUNISTARUM MATRIMONII CELEBRATIONE

Quaesitum est utrum exclusio communistarum ab usu Sacramentorum in Decreto S. Officii diei 1 Iulii 1949 statuta, secum ferat etiam exclusionem a celebrando matrimonio: et quatenus negative, an communistarum matrimonia regantur praescriptis canonum 1060-1061.

Ad rem Sacra Congregatio S. Officii declarat: Attenta speciali natura sacramenti matrimonii, cuius ministri sunt ipsi contrahentes et in quo sacerdos fungitur munere testis ex officio, sacerdos assistere potest matrimoniis communistarum ad normam canonum 1065, 1066.

In matrimoniis vero eorum, de quibus agit n. 4 praefati Decreti, servanda erunt praescripta canonum 1061, 1102, 1109 § 3.

Datum ex Aedibus S. Officii die 11 Augusti 1949.

MARIANUS MARANI, *Supr. S. C. S. Officii Substitutus Notarius.*

(*A. A. S.* vol. XXXXI p. 427)

ADNOTATIONES

Optimo consilio (et eventus rem demonstravit), S. Congregatio S. Officii, per responsa hoc anno data, doctrinam generalem quam Romani Pontifices, singillatim Pius XI et Pius XII, exposuerant de communismo atheo, ad praxim bonae gubernationis christifidelium applicavit. In hunc finem, conceptis quaesitis bene et clare definitis, responsa dedit non minore claritate concinnata, quae applicationem doctrinae catholicae circa communismum atheum regant.

Quaesita, quae sive in Decreto sive in subsequenti Declaratione, dicuntur Sacrae Congregationi proposita, non respiciunt dubia iuris praesertim positivi, sed applicationem practicam tum principiorum iuris naturalis, tum dispositionum iuris positivi divini et ecclesiastici, significatam adversus confusionem quam duces communistarum, diversis in nationibus, inter christifideles spargere quaesiverunt, quasi doctrina communismi nomini christiano infensa non esset. Ipsa S. Congregatio, per explicitam suam declarationem, a facto procedit, quod « communismus est materialisticus et antichristianus; communistarum autem duces, etsi verbis quandoque profitentur se Religionem non oppugnare, re tamen, sive doctrina sive actione, Deo veraeque Religioni et Ecclesiae Christi sese infensos esse ostendunt ». Hac perspicua declaratione, quae nihil aliud est nisi summatio eorum quae Romani Pontifices in solemnibus documentis pro magisterio ecclesiastico totam Ecclesiam docuerunt, fundamentum praebetur quo praxis regitur ex parte christifidelium cuiuslibet adhaesionis ad partes communistarum.

a) Itaque S. Officium declarat esse illicitum, i. e. grave peccatum, partibus communistarum nomen dare aut eisdem favorem praestare. Partes communistarum intelliguntur, sive factiones politicae, quae nomine communismi inscribuntur, sive associationes quae doctrinam et actionem communistarum fovent atque propagant. Iam vero quid doctrina et actio communismi propugnent in Litt. Encyclicis Pii XI, *Divini Redemptoris*, praeclare expositum est. Proin quaelibet associatio sive politica sive scientifica aut litteraria quae in finem doctrinae diffundendae communistarum aut actionis propagandae est constituta, « partes communistarum » efformat, cui nomen dare non licet vel praestare favorem. Inscriptiones igitur in similibus factionibus vel associationibus, praestationes pecuniae eisdam facere, suffragia in electionibus ad comitia candidatis a talibus factionibus propositis dare, omnes denique actus qui directe vel indirecte communismum fovent, sunt graviter illiciti. « Communismus, dicebat Pius XI, cum intrinsecus sit pravus, eidem nulla in re est adiutrix opera ab eo commodanda, cui sit propositum ab excidio christianum civilemque cultum vindicare » (A. A. S. v. 29, n. 96).

b) Secundum responsum S. Officii prohibitionem librorum communismo patrocinantium respicit. Per applicationem cc. 1398 et 1384, necnon c. 1399 Decretum in n. 2 prohibitum esse declarat, ac proin illicitum « edere, propagare vel legere libros, periodica, diaria vel folia quae doctrinae vel actioni communistarum patrocinantur ». Haec sunt verba Decreti; sed extendi quoque prohibitio debet ad ea omnia quae in c. 1398 recensentur; sc. prohibitio li-

brorum efficit ut liber (intellige pariter publicationes diarias, hebdomadarias, mensiles, folia, libellos et alia eiusmodi) nec edi, nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in alteram linguam verti, nec ullo modo cum aliis communicari possit. Appellat Decretum ad prohibitionem ipso iure sancitam in c. 1399: « Ipso iure prohibentur:... libri quorumvis scriptorum ipsa religionis fundamenta quoquo modo evertere nitentes; libri qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur, qui disciplinam ecclesiasticam evertere contendunt, et qui data opera ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt ».

Haec omnia in libris doctrinae et actioni communistarum patrocinantibus haberi, manifestum est, uti tristis hodierna experientia docet et expositio conceptionis communistarum aperte ostendit. Decretum hoc n. 2 etiam aliud declarat: illicitum esse in eisdem scribere. Explicite S. Officium quamdam favoris praestandi formam partibus communistarum proscribit, quae diariis, foliis vel libellis periodicis singilatim applicatur. Supponit haec proscriptio argumentum scripti non de doctrina actioneve communistarum agere sed de alia materia. Attamen uti modum favorem praestandi antea damnatum, heic in n. 2, data occasione, scriptionem quoque in illis periodicis prohibitam ac proinde illicitam esse expresse declaratur. Quaeri potest, an nuntia publica, commercialia et alia, in ephemeridibus communistarum inseri liceat. Cum talis insertio haberi sine praestatione pecuniaria nequeat ex qua illae oeconomice valde iuvantur, negative respondendum esse putamus.

c) Effectum disciplinarem praecedentium declarationum S. Officium in tertio Decreti numero cavet. Nam illos qui « scienter et libere » actus ponunt de quibus in nn. recensitis, dicitur ad Sacramenta admitti non posse; idque, explicat Decretum: « secundum ordinaria principia de Sacramentis denegandis iis qui non sunt dispositi ». Explicatio difficultate caret, nisi quod ad verba « scienter et libere » attinet. S. Officium per insertionem horum duorum verborum attentos voluit confessarios vel parochos reddere de conditione plurimorum in hodierno statu civili, qui ex praepotentia praepositorum vel in publica administratione vel in officinis fabricarum, ad adscriptionem in partes communistarum moraliter coguntur. Cum dispositio ad sacramenta recipienda pendeat etiam ab istis circumstantiis, quae multis in casibus a peccato mortali excusant, id sine dubio in praxi disciplinae sacramentalis prae oculis habendum est. Scientia et deliberatio plena sunt duae conditiones actus moraliter culpabilis sine quibus lethale peccatum, quod a Sacramentis recipiendis arcet, haberi nequit. In ea insertione, Decretum prae oculis habuit, et implicite recognovit,

operarios praesertim morali coactione nonnumquam obligari ad inscriptionem in factionibus communistarum. Quod autem ad scientiam attinet, planum est confessarium instruere debere poenitentes, antequam eos ad S. Communionem accedere permittat, de gravitate peccati, quod est inscriptio in partibus communistarum aut eisdem favorem praestare; proinde illum exigere debere a poenitentibus ut a talibus se abstineant. Qui talem emendationem sincere promittit, seposito scandalo, admitti potest ad S. Communionem. Unde verbum « scienter » a S. Officio adhibitum futurum potius respicere dicendum est poenitentis. Qui perversitatem et gravitatem inscriptionis in partibus communistarum animo sincero non percepit (quod post huius Decreti tantam diffusionem raro admodum et in singularibus circumstantiis possibile erit) ex hac parte peccatum mortale non commisit, nec erat indispositus ad sacramentorum receptionem, salvo scandalo quod venire posset. Quod scandalum in omni casu, adhibitis opportunis cautelis, vitandum est. Ceterum quoad omnes applicari quoque oportet quae in theologia morali de cooperatione materiali docentur.

* * *

Quartum responsum Decreti S. Officii respicit in specie eos qui doctrinam communismi profitentur aut eius propagatores data opera sunt; quales duces communismi, eius in cameris legislativis repraesentantes, scriptores ex officio aut communismi praedicatores vel concionnatores aliisque eiusdem generis, vel qui publice aut verbis aut scriptis communistarum doctrinam materialisticam et antichristianam profitentur aut defendunt. Priores cum communismum tale quale est propugnent, posteriores, autem, quia doctrinam antichristianam in comunismo insitam approbant, omnes censuras a iure canonico statutas incurrunt. Decretum omnes praedictos apostatas a fide vocat; et merito, cum tales a fide catholica totaliter recedant (c. 1325 § 2). Poena in iure canonico pro eis lata est excommunicatio speciali modo Sedi Apostolicae reservata (c. 2314).

Alia est quaestio, num nomen dantes partibus communistarum, quin doctrinae communismi fiant assertores, defensores aut propagatores, censuras iuris incurrant. Hanc quaestionem Decretum S. Officii directe non tangit, et proinde non decidit. Qui affirmative quaesito respondent, appellant ad c. 2314 § 1 n. 3°, et praesertim ad c. 2335. In primo, sermo est de iis qui sectae acatholicae nomen dant vel publice adhaerent, quique ipso facto infames dicuntur; in altero, de eis qui nomen dant sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles

auctoritates machinantur, iique excommunicationem ipso facto incurrunt Sedi Apostolicae simpliciter reservatam. Qui negant censuras ab illis incurri, in c. 2314 solum vident associationes communisticas plecti, quae expresse pro fine habeant professionem et propagationem atheismi, non autem factionem communistarum qua talem, quae secta religiosa non est; in c. 2335 solum damnari putant associationes seu sectas *clandestinas,* inter quas factio communistarum, cui simpliciter operariorum massa nomen dat, non computari videtur. Sententia negativa nobis probabilior est.

* * *

Post Decretum de quo hucusque egimus prodiit Declaratio, in qua S. Officium exposita ad sacramenti matrimonii celebrationem applicat. Declaratio primum naturam sacramenti matrimonii memorat, cuius ministri sunt contrahentes et in quo sacerdos munere fungitur testis ex officio. Celebratio ergo matrimonii canonici etiam eorum qui indigni sunt sacramentorum recipiendorum per se nullam continet irreverentiam ex parte Ecclesiae; proinde si adsint graves causae et satis cautum est catholicae educationi universae prolis et remotioni periculi perversionis alterius coniugis (nam si adest periculum horum duorum coniugium etiam ipsa lege divina prohibetur, c. 1060) ea matrimonia permitti possunt ad evitanda maiora mala, praesertim socialia.

Age iam, apprime distinguenda sunt matrimonia eorum de quibus nn. 1, 2, 3 praecitati Decreti agunt, et eorum de quibus n. 4 eiusdem Decreti.

Iuxta Declarationem S. Officii matrimoniis communistarum de quibus in nn. 1, 2, 3 Decreti, sacerdos assistere potest ad normam cc. 1065, 1066. Scilicet recensiti in praedictis numeris, vel societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt nomen dando partibus communistarum, vel publici peccatores fieri possunt actus ponendo qui ibidem condemnantur. In eos igitur cadunt praescripta cc. 1065, 1066 qui de talibus quoque agit. Unde, iuxta c. 1065 § 2: parochus nuptiis eorum qui nomen dederunt partibus communistarum non potest assistere, nisi consulto Ordinario, qui, inspectis omnibus rei adiunctis, permittere poterit ut matrimonio intersit, dummodo urgeat gravis causa et pro suo prudenti arbitrio Ordinarius iudicet satis cautum esse catholicae educationi universae prolis et remotioni periculi perversionis alterius coniugis.

Si autem agitur de aliis qui nomen quidem communismo non dederunt, sed eidem favorem publicum praestant aut aliquid ex proscriptis in n. 2 Decreti publice commiserunt, parochus eorum matrimonio, si cum Ecclesia reconciliari recusaverint, ne assistat

nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, Ordinarium consulere debet (c. 1066).

Matrimonium autem eorum, qui communistarum doctrinam materialisticam et antichristianam profitentur, et in primis eam defendunt aut propagant, est matrimonium apostatae a fide, id est cuiusdam acatholici. Ex hac parte applicatio cc. 1102 et 1109 § 5 clare resultat. Declaratio insuper asserit servandum esse canonem 1061. In hoc canone agitur de conditionibus sub quibus Ecclesia dispensat in impedimento mixtae religionis. Ex hac circumstantia quidam deduxerunt S. Officium considerasse haec matrimonia, quando una pars est catholica et altera versatur in conditionibus descriptis, tamquam matrimonia mixta pro quibus necessaria esset dispensatio ab impedimento. Putamus hanc opinionem non esse iustam. Nam Codex impedimentum mixtae religionis describit in can. 1060 qui certe his matrimoniis non aptatur; nam ii, de quibus agitur, non sunt sectae haereticae vel schismaticae adscripti. Ceterum cautiones de quibus agit c. 1061 eaedem sunt quae in c. 1065 recensetur, sed primus in matrimoniis mixtae religionis iubet eas formales esse debere et regulariter scripto esse exigendas. Itaque secundum S. Officium, quia matrimonia haec speciali vigilantiae subiicienda sunt, etiam cautiones formales et scripto factas commendare curat.

Inter eos igitur qui versantur in conditionibus nn. 1, 2, 3 Decreti et eos qui ipso facto plecti sunt excomunicatione, utpote apostatae a fide, hoc maxime discrimen habetur: matrimonia apostatarum celebranda sunt sine ritibus sacris, vel saltem exclusa Missae celebratione (c. 1102), et extra Ecclesiam, nisi Ordinarius dispenset ad normam c. 1109 § 3. Matrimonia autem gregalium communismi aut eorum qui publice communistarum partibus favent, non sunt matrimonia apostatarum seu acatholicorum; et proinde illis cc. 1102 et 1109 § 3 non conveniunt.

R. Bidagor S. J.
Consultor S. C. de disciplina Sacramentorum.

DUBIUM

DE CELEBRATIONE MATRIMONII INTER ACATHOLICOS.

Proposito Supremae huic S. Congregationi dubio:

Utrum praescriptum can. 1088 par. 1 applicetur etiam matrimoniis acatholicorum baptizatorum;

Feria IV, die 18 maii 1949

E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, respondendum decreverunt:

Affirmative.

Et die 26 Junii eiusdem anni SS.mus D. N. D. Pius divina Providentia Papa XII, in Audientia Adsessori S. Officii impertita, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii die 30 Junii 1949.

PETRUS VIGORITA, *Sup. S. C. S. Officii Notarius.*

(*A. A. S.* vol. XXXXI p. 427)

ADNOTATIONES

Sine dubio ansam dedit huic Decreto edendo conditio militum in castris et in acie prima versantium, qui non poterant in persona assistere celebrationi matrimonii cum sponsa absente. Quibus militibus lex civilis quosdam favores concedere consuevit (cf. art. 111 Codice civile). Pro catholicis, qui intenderunt contractum matrimonialem in forma canonica, nulla difficultas data fuit; nam parochus sollicitus de iis, quae matrimonii celebrationi praemitti debent (can. 1019 ssq.), sponsos instruxit de matrimonio mediante procuratore rite ineundo ad normam can. 1088 et 1089. Quid de acatholicis? Ipsi ne cogitaverunt quidem de procuratore nominando vi juris canonici. Nam ipsi satis sibi provisum esse censuerunt per legem civilem; expresse haec lex plenissime abstraxit a normis

juris canonici. Ut unum exemplum afferam e territorio, cuius cives ad maximam partem fuerunt acatholici, sc. ex Germania. Auctoritas militaris sub data 4. nov. 1939 sequentem Instructionem circa matrimonia celebranda a personis, quarum una saltem pertineat ad ordinem militarem: sponsa coram magistratu civili dat personaliter in forma ex iure civili valida suum consensum matrimonialem; sponsus iam tempore praecedente hunc actum manifestavit coram tribuno militum proprium consensum conjugalem in scriptis redigendum; quod documentum transmittitur ad auctoritatem civilem, de qua supra. Quia tempore belli per plures annos continuati hic contrahendi matrimonii modus saepissime observatus fuit, tribunalia ecclesiastica pro casu, quo huiusmodi acatholicus ad fidem catholicam conversus est aut puellam catholicam in forma canonica ducere intendit vel viceversa, necessitate logica respondere debuerunt ad Dubia:

I. fueruntne huiusmodi connubia valida aut invalida in facie Ecclesiae?

II. Quo iuris tramite dictae causae matrimoniales tractandae sunt? ad normam tit. XX. cap. I - VI libri IV C. J. C. aut ad normam cap. VII de casibus exceptis a regulis hucusque traditis?

Responsum ad primum Dubium dependet a quaestione: acatholici suntne obligati ad leges ecclesiasticas in genere, ad leges matrimoniales in specie?

Can. 12 statuit: « Legibus mere ecclesiasticis non tenentur qui baptismum non receperunt, nec baptizati qui sufficienti rationis usu non gaudent, nec qui, licet rationis usum assecuti, septimum aetatis annum nondum expleverunt, nisi aliud iure expresse caveatur ».

Can. 13 § 1. Legibus generalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt.

§ 2. Legibus conditis pro peculiari territorio ii subiiciuntur pro quibus latae sunt quique ibidem domicilium vel quasi-domicilium habent et simul actu commorantur, firmo praescripto can. 14.

Can. 14 § 1. Peregrini:

1° Non adstringuntur legibus particularibus sui territorio quandiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales;

2° Neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt, vel actuum sollemnia determinant;

3° At legibus generalibus tenentur, etiamsi hae suo in territorio non vigeant, minime vero si in loco in quo versantur non obligent.

§ 2. Vagi obligantur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur.

Can. 16. § 1. Nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur.

§ 2. Ignorantia vel error circa *legem* aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium generatim non praesumitur.

Can. 87 sequenti modo sese exprimit: « baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum iuribus et *officiis*, nisi ad *iura* quod attinet, obstet obex, ecclesiasticae communionis vinculum impediens, vel lata ab Ecclesia censura ». Can. 1016 sonat: « *baptizatorum* matrimonium regitur jure non solum divino, sed etiam canonico ».

Ad quaestionem illustrandam tum sub ratione historiae tum sub ratione juris vigentis sufficit citasse Van Hove, *De legibus ecclesiasticis* nn. 191-193, p. 200 sq.:

§ 2. *De haereticis, schismaticis et excommunicatis.*

« 191. - Notiones historicae. - Post exortam et firmatam pseudoreformationem, quaestio agitata est de obligatione haereticorum relate ad leges ecclesiasticas. Saeculo XVII, teste Ioanne de Lugo [1], « theologi recentiores opinati sunt haereticos non subiici legi ecclesiasticae de confessione annua, ex eo quod lex talis non foret prudens et rationabilis, cum certum sit haereticos eam non esse observaturos, adeoque solum serviret ad dandam materiam novi peccati ex eius violatione ». Cum doctrina, quam asserit tunc communem, respondet laudatus scriptor: argumentum si valeret « multo magis probaret de aliis legibus ecclesiasticis, quod non debeant haereticos obligare, atque adeo ipsos non peccare contra legem ieiunii vel abstinentiae a carnibus, nec incurrere excommunicationem et censuras latas pro variis criminibus. Quae tamen omnia absurdissima sunt. Ratio autem est, quia ad hoc ut lex aliqua universalis sit prudens et iusta, non debemus attendere, an sit futura utilis huic personae vel illi, sed toti communitati; cui si utilis sit, lex est rationabilis, nec debet restringi ad solas personas, quae eam probabiliter observabunt ».

Aliam controversiam meminit Fr. Schmalzgrueber, qui cum plerisque in Germania tenet haereticos Germaniae non ligari legibus irritantibus matrimonium, ex consuetudine ibi recepta, nec haereticos ligari lege clandestinitatis, ex benigna voluntate Ecclesiae, propter mala maxima et pericula proventura ex invaliditate matrimoniorum haereticorum, qui legem clandestinitatis non observabunt [2].

---

[1] Io. de Lugo, *De sacramento poenitentiae*, Venetiis, 1751, Disp. 15, sectio 7, n. 144.

[2] Fr. Schmalzgrueber, *Ius can. univ.*, L. IV, tit. 3, n. 99 et tit. 1, n. 378-

Recentiores haud pauci ante Codicem [3] docuerunt illos qui nati sunt in secta haeretica vel schismatica diu iam constituta, non solum excusari, sed etiam, ex benigna voluntate Ecclesiae, non teneri illis legibus quae directe tendunt *ad sanctificationem animarum*, ut sunt leges de ieiunio, de abstinentia, de celebratione festorum, de sacramentis recipiendis.

« 192. - Haereticos per se subiici legibus ecclesiasticis a nemine negatur. Etenim Ecclesia potest illos submittere, quia sunt subditi Ecclesiae, licet non ideo ut membra Ecclesiae habeantur [4]. Latius enim patet notio subditi quam membri Ecclesiae. Cf. can. 87. Qui enim ab unitate Ecclesiae repelluntur et iuribus orbantur quibus in Ecclesia versantes fruuntur, ab huius auctoritate et legibus non liberantur. Quod in transfugis et perduellibus videmus, qui lege civili a privilegiis subditorum excluduntur et nihilominus Principis auctoritati subiiciuntur [5]. Quod autem Ecclesia velit illos obligare, patet tum ex jure superiore tum ex can. 12 et 87, qui principium generale ponunt, tum ex ipsis canonibus qui haereticos eximunt a quibusdam obligationibus (can. 1070, § 1; 1099) [6], nam exceptio firmat regulam in iis quae non excipiuntur.

« 193. - Derogationes quaedam huic subiectioni in Codice expresse statuuntur: quod ad formam celebrandi matrimonium in can. 1099 et quod ad impedimentum disparitatis cultus in can. 1070, par. 1. Sic solvitur controversia, quam memorat Fr. Schmalzgrueber, circa obligationem haereticorum servandi leges de matrimonio. Quia exceptiones statuuntur, inde clare patet alias leges ligare haereticos, quod iam a nemine in dubium vocatur.

Quidam ex benigna interpretatione voluntatis Ecclesiae et iuxta doctrinam ante Codicem receptam, eximunt a legibus quae

---

380. Cf. etiam L. V, tit. 7; n. 171-174. - Cf. A. Ballerini-D. Palmieri, *Opus theol. morale*, I *Tract. de legibus*, n. 162. - De Becker, *De sponsalibus et matrimonio*[2], p. 34.

[3] Cf. inter alios: Ph. De Angelis, *Praelectiones iuris canonici*, Romae, 1877, L. 1, tit. 2, n. 13. - F. Cavagnis, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae 1906, I, n. 564. - I. Laurentius, *Institutiones iuris ecclesiastici*[5], Friburgi 1914, n. 1195. - Cl. Marc, *Institutiones morales Alphonsinae*, Lugduni 1885, I. p. 189. - Th. Bouquillon, *Theol. mor. fund.*[3], de leg., n. 154. - Ed. Genicot - J. Salsmans, *Theologia moralis*[8], Bruxellis, 1919-1925, I, n. 94.

[4] De differentia inter membrum et subditum Ecclesiae, cf. Theolog. et F. X. Wernz, *Ius Decr.*, I[3], n. 103, nota 78.

[5] Constitutio Benedicti XIV *Singulari nobis*, 9 februarii 1749, par. 15, P. Gasparri, C. J. C. Fontes, II, p. 197.

[6] Benedicti XIV constitutio *Matrimonia*, 4 novembris 1741, in *Bullario Mechliniensi*, I, p. 178; - Pii VII Breve *Etsi Fraternitatis*, 8 octobris 1803, P. Gasparri, C. J. C. Fontes, II, p. 717.

directe pertinent ad salutem animarum, illos qui sunt nati et educati in secta haeretica, quae iam diu exsistit. Argumentum iuris positivi non est inveniri, neque in iure superiore neque in Codice. Etenim can. 87 solum quod ad iura attinet, non quod ad officia, agnoscit obicem ecclesiasticae communionis vinculum impedientem. Nec ratio ab auctoribus allegata videtur sufficiens, ut iam notabat de Lugo. Etenim lex fertur quoque pro illis qui probabiliter eam non servabunt, nec obligatio servandi legem est apud haereticos in damnum animarum, cum plerique vel bona fide vel ignorantia a peccato formali excusentur. Proinde non licet haereticos ad leges illas violandas inducere [7]; cooperatio materialis tamen in infringendis illis praeceptis facile admittitur. Haec doctrina facta est longe communior apud canonistas post Codicem [8].

Sunt tamen qui probabilitatem opinionis contrariae admittant » [9].

Quaestio, utrum acatholici baptizati teneantur ad impedimenta matrimonialia, tractata fuit occasione Causae *Berolinen.* die 25 maji 1935 coram Wynen in S. Romana Rota [10]. Uterque sponsus fuit acatholicus. Ponens citat primo opinionem Gasparri, qui tenet acatholicos baptizatos teneri ad impedimenta matrimonialia, exceptione autem facta pro forma canonica celebrationis et pro impedimento disparitatis cultus, et addit « Id certissimum est; ac illi AA. catholici, qui de hoc dubitant, nesciunt quid dicant » [11]. Ipse Ill. Ponens eandem sententiam tenet eamque sic proponit: Ecclesiae jus est constituendi impedimenta matrimonialia pro baptizatis (can. 1038 § 2). Ecclesiam autem de facto acatholicos baptizatos impedimentis matrimonialibus ligasse, sequitur *in genere* ex can. 12 necnon ex can. 87, *in specie* sequitur ex can. 1070 et can. 1099 § 2.

Decretum S. O. non sese exprimit de modo, quo Causa huiusmodi tractanda sit. Nihilominus S. O. in Rescripto d. 15. jul. 1949 (Prot. num. 1292/49), ergo quasi immediate post editum Decretum occurrentem casum sequenti modo decidit: « si constet de baptismo saltem unius partis et de matrimonio celebrato inter absentes, contra praescriptum can. 1088 par. 1, matrimonium invalidum de-

---

[7] Illud admittunt etiam illi scriptores qui docent haereticos talibus legibus non teneri. - Cf. D. M. Prümmer, *Manuale theol. mor.*[4], I, n. 186; - H. Noldin, *De principiis theol. mor.*[14], n. 147; A. Lehmkuql, *Theol. mor.*[12], I, n. 228.

[8] M. Falco, *Introduzione allo studio del C. J C.* p. 93-94; - M. Conte A. Coronata, *Iustitutiones i. c.*, I, n. 14, - 1. Chélodi - E. Bertagnolli, *ius de personis* n. 65 p. 113. nota 2 et alii.

[9] Maroto, *Institutiones j. c*, n. 196 et alii.

[10] *Decisiones S. R. R.*, vol. 27, 1935, p. 318 sq. ed 3 et 4.

[11] *De Matrimonio*, ed. 1932 n. 257.

clarari posse, procedendo ad *ordinarium* tramitem juris ». Mirabitur forsan quis de facto, quod S. C. S. O. postulaverit in casu processum « ad ordinarium tramitem juris »; nam ex una parte constat de nullitate connubii ex non observato can. 1088 par. 1; ex altera parte factum baptismi recepti poterit erui ex documento publico; item factum celebrati *inter absentes* matrimonii. S. C. S. O. ducta esse videtur sequentibus motivis: Pontif. Comm. die 6 dec. 1943 (A. A. S. vol. XXXVI p. 94) declaraverat: casus exceptos can. 1990 *taxative* enuntiatos esse; porro intrare potest in Causam quaestio de validitate baptismi certo collati et quaestio de convalidatione matrimonii. Fieri enim poterit, quod miles reversus in patriam coram ministro acatholico aut privatim, non obligatus ad can. 1099, renovet cum uxore *absolute* suum consensum independenter a facto, utrum nuptiae inter absentes fuerint invalidae aut non; tandem Ordinario loci in dicto casu non competit solutio casus via administrativa ad normam Pont. Comm. d. 16 oct. 1919 (A. A. S. vol. XI, 479 ad 17)[12].

D. G. Oesterle O. S. B.
Consultor S. C. pro Ecclesia Orientali.

---

[12] Cfr. Dr. J. Joseph Weier: *Die Ferntrauung von Nichtkatholiken nach katholischem Kirchenrecht* in periodico *Trieres theologische Zeitschrift*, 58. Jahrgang, 1949 p. 283-286. In eodem periodico p. 280-283 a Dr. Alberto Heintz tractatur quaestio de contrahendo matrimonio mediante procuratore; inibi enarratur casus, qui ansam dedit declarationi authenticae 31 maii 1948 (A. A. S. vol. XL p. 302).

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM

DE FACULTATIBUS ET GRATIIS PRO AMERICA LATINA

Conspicua privilegia Ordinariis, Sacerdotibus et Christifidelibus dioecesium Americae Latinae a Summo Pontifice Leone XIII fel. rec. ad trentennium concessa, Summus Pontifex Pius XI, fel. rec. iterum largitus est ad decennium « Litteris Apostolicis » diei 30 Aprilis 1929, quae, Decreto S. C. Consistorialis diei 18 Aprilis 1939, usque ad diem 30 Aprilis 1949 fuerunt confirmata. .

Cum decimo exeunte anno, quos supra memoravimus, Americae Latinae Ordinarii, enixe, iisdem permanentibus adiunctis, postulaverint ut eadem privilegia prorogarentur, Ss.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII, de consulto SS. Dicasteriorum, pro materia ad unum-quodque spectante, petitas facultates, nonnullis inductis immutationibus, quae opportunae visae sunt, omnibus et singulis Ordinariis, Sacerdotibus et Christifidelibus dioecesium et ditionum Americae Latinae benigne confirmare et concedere dignatus est usque ad diem 31 Decembris 1959, iuxta modum qui infra sequitur:

1) Ordinarii locorum parochis vel missionariis, in regionibus seu locis in quibus ob magnam distantiam vel ob aliud impedimentum, eisdem perdifficile sit, ex fontibus baptismalibus, ubi asservatur, desumere et secum ferre aquam Sabbato Sancto et Pentecoste benedictam, possunt facultatem concedere aquam baptismalem benedicendi ea breviori formula, quae a fel. rec. Decessore Nostro Paulo III missionariis in Peruvia apud Indos concessa, nunc in Appendice Ritualis Romani legitur.

2) Parochi et missionarii, si propter temporis defectum improbamque defatigationem, vel aliis gravibus de causis, omnes adhibere pro baptismo adultorum praescriptas coeremonias haud facile valeant, solis ritibus qui in Constitutione fel. rec. Pauli Pp. III *Altitudo* die 1 mensis Iunii anno MDXXXVII data designantur, uti licite poterunt, praevio tamen Ordinarii consensu.

3) Item Ordinarii locorum, secluso Vicario Generali sine sui Ordinarii loci speciali mandato, deputare possunt ad Sacramentum Confirmationis administrandum, sacerdotes, quantum fieri potest in aliqua dignitate ecclesiastica constitutos, vel munere Vicarii foranei fungentes, numquam vero simplices sacerdotes commorantes illis in locis in quibus praedictum Sacramentum administrandum erit; servata Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum Instructione pro simplici sacerdote, ex Sedis Apostolicae delegatione, Sacramentum Confirmationis administrante (*A.A.S.*, XXVII, 11 seq.).

4) Iidem Ordinarii ad assistendum nuptiis iuxta formam a iure statutam delegare possunt sacerdotes qui, Missionum causa, ad evangelizandos fideles vel ad aliud exercitium pietatis implendum in longinquas regiones, a parochiali sede dissitas pergunt, iisdem Missionibus perdurantibus, absente Ordinario, vel parocho, vel Vicario cooperatore, atque iis servatis, quae, prouti res ferat et loci ac temporis conditiones observari permittant, matrimonii celebrationi, ad normam Codicis Iuris Canonici canonis 1019 et seq., praemitti debent; facta tamen huius Apostolici Indulti expressa mentione in unoquoque casu et iugiter firmis sacrorum canonum praescriptionibus tum de iuribus parochi servandis tum de inscriptione in libris paroecialibus facienda.

5) Ordinarii pariter dispensare valent super matrimonialibus, iuris dumtaxat ecclesiastici, impedimentis, a quibus Sancta Sedes dispensare consuevit, exceptis proinde impedimentis, quae ex Sacris Ordinibus vel ex affinitate in linea recta consummato matrimonio proveniunt; excepto quoque, ob rei gravitatem, impedimento de quo in canone 1075, nn. 2, 3; exceptis denique mixtae religionis et cultus disparitatis impedimentis, nisi speciales a Suprema Congregatione Sancti Officii facultates obtentae fuerint.

Pariter venia iisdem conceditur decernendi atque declarandi legitimam prolem nupturientium, dummodo ipsa in adulterio ne sit concepta; facta tamen in unoquoque casu, etiam in concedendis dispensationibus, huius Apostolici Indulti expressa mentione.

6) Fidelibus autem matrimonium contrahentibus largitur ut quocumque anni tempore Nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo illis temporibus, in quibus ab Ecclesia nup-

tiae prohibentur, a nimia pompa abstineant; cauto tamen ut, si extra Missam benedictio nuptialis concedatur, formula in appendice « de Matrimonio » Ritualis Romani adhibeatur.

7) Conceditur pariter ut Sacra Olea etiam antiqua, non ultra duos annos, adhiberi possint, dummodo ne sint corrupta et nova vel recentiora Sacra Olea, peracta omni diligentia, haberi nequeant.

8) Ordinarii permittere queunt sacerdotibus usum altaris portatilis, ita tamen ut huiusmodi usus sit tantum in fidelium bonum atque illis in locis, in quibus ecclesia vel publica oratoria desint, aut paroecialis ecclesia sit longe distans, non vero in mari; dummodo celebrationis locus sit decens atque honestus, super petra sacra celebretur, et parochi ceterique sacerdotes quibus haec facultas tribuetur, Sancti Evangelii explicatione vel catechesis traditione fideles, sacro adstantes, instruant.

9) Ordinarii concedere possunt sacerdotibus facultatem celebrandi in navi sacrosanctum Missae Sacrificium, durante dumtaxat tempore itineris, dummodo locus, in quo Missa peragenda est, nihil indecens aut indecorum praeseferat, mare aut flumen sit adeo tranquillum, ut quodcumque e Calice effusionis Sacrarum Specierum periculum absit; atque alter sacerdos, superpelliceo indutus, si adsit, celebranti presbytero adsistat.

10) Omnibus autem Americae Latinae christifidelibus permittitur ut a dominica Septuagesimae usque ad festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli praecepto annuae Confessionis et Communionis satisfacere possint.

11) Iisdem christifidelibus largitur, si loca inhabitent ubi prorsus impossibile vel saltem admodum sit difficile ad confessarium accedere, ut lucrari queant Indulgentias et Iubilaea quae Confessionem et Communionem et ieiunium requirunt, dummodo, servato ieiunio, sint corde saltem contriti, addito firmo proposito admissa, quamprimum poterunt, confitendi.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 26 Martii 1949.

+ Fr. A. I. Card. Piazza, Episc. Sabin. et Mandel., *a Secretis.*

L. + S. B. Renzoni, *Adsessor.*

(*A. A. S.* vol. XXXXI pp. 189-191)

ADNOTATIONES

1. Vis et efficacia praefati Decreti maxima profecto est. Agitur quippe de actu vere et proprie pontificio, scil. de nova lege, quae facultates et gratias praeter et contra ius commune concedit, a R. Pontifice per S. Congregationem Consistorialem lata.

2. In primis animadvertendum, sublatam esse facultatem appellandi, de qua tam in Litteris Apostolicis Leonis XIII *Trans Oceanum*, 18 april. 1897 (n. 14), quam in *Litteris Apostolicis* Pii XI, 30 april. 1929 (n. 12). Appellatio, dicebatur, fieri potest « in tertia instantia ad alterum Metropolitam vel Episcopum eiusdem provinciae, viciniorem ei a quo primo fuit lata sententia; integra tamen manente facultate ad Apostolicam Sedem, ad iuris tramitem, recurrendi » (*A. A. S.*, XXI, 567).

3. Ordinarii locorum concedere possunt (n. 1) parochis vel missionariis facultatem benedicendi aquam baptismalem ea breviori formula, quae a Paulo III concessa fuit missionariis in Peruvia apud Indos; quae formula nunc legitur in Appendice *Ritualis Romani.*

Ordiarii locorum sunt omnes illi, de quibus in can. 198, § 2, nempe Episcopi, Vicarii Capitulares, Vicarii Generales, etc. *Parochi* sumuntur sensu lato, ita ut intelligantur etiam quasi-parochi, vicarii paroeciales qui plena potestate paroeciali gaudent ad normam can. 451, § 2. *Missionarii* item late accipiendi, sive habitualiter alicui missioni sint addicti, sive interdum per modum actus dumtaxat.

Facultas ista nequit indiscriminatim concedi, sed tantum in regionibus seu locis in quibus propter magnam distantiam aut aliud impedimentum, parochi vel missionarii nequeunt aquam benedictam ex fonte baptismali accipere et secum ferre.

4. Parochis et missionariis (n. 2) datur facultas adhibendi pro adultorum baptismo, iusta et gravi de causa, eos tantum ritus qui designantur in Const. *Altitudo* Pauli III, 1 iun. 1537.

Porro quinam sunt isti ritus? Praefata Constitutio saltem haec quatuor observanda iubet: « *Primum,* aqua sacris actionibus sanctificetur. *Secundum,* catechismus et exorcismus fiat singulis. *Tertium,* sal, saliva, capella et candela ponatur duobus vel tribus pro omnibus utriusque sexus tunc baptizandis. *Quartum,* Christus ponatur singulis in vertice capitis, et oleum catechumenorum ponatur super cor viri adulti, puerorum et puellarum; adultis vero mulieribus ponatur in illa parte, quam ratio pudicitiae demonstrabit » (Cfr. *Collect. S. C. de Prop. Fide,* I, n. 114, in nota).

Ut huic facultati sit locus, praevius Ordinarii consensus accedat oportet, qui potest esse sive explicitus sive implicitus, sive per modum actus sive habitualiter concessus.

5. Ordinarius loci, non tamen Vicarius Generalis sine mandato speciali, potest deputare ad sacramentum Confirmationis ministrandum sacerdotes, quantum fieri potest in aliqua dignitate ecclesiastica constitutos, vel munere vicarii foranei fungentes, exclusis sacerdotibus loci ubi sacramentum administratur (n. 3).

Tria opportune animadvertenda. Exclusio Vicarii Generalis mandato speciali carentis est ad valorem deputationis; nihil vetat tamen, quominus ipse deputetur ad sacramentum conferendum. Circumstantia quod persona deputanda in aliqua dignitate ecclesiastica sit constituta, vel fungatur munere vicarii foranei, non est ad valorem, attentis verbis: « *quantum fieri potest* »; dum e contra nequit valide et licite deputari simplex sacerdos commorans in loco ubi sacramentum ministrandum erit.

Expresse dicitur servanda Instructio S. Congregationis de Sacramentis, 20 maii 1934, pro simplici sacerdote sacramentum Confirmationis ex Sedis Apostolicae delegatione administrante. Id *praeceptive* statuitur; non tamen ad valorem administrationis, dummodo cetera quae ad substantiam pertinent, adamussim serventur.

Decretum ne verbum quidem habet de Decreto eiusdem Congregationis de disciplina Sacramentorum, 14 sept. 1946 « De Confirmatione administranda iis, qui ex gravi morbo in mortis periculo sunt constituti » (*A. A. S.*, XXXVIII, 349), ac de Decreto S. Congregationis de Propaganda Fide, 18 dec. 1947, item de Confirmatione ministranda iis qui versantur in mortis periculo (*A. A. S.*, XL, 41). Facultates contentae in praedictis Decretis valente etiam pro parochis et missionariis Americae Latinae? Forte quis ambigere poterit; at sine solido fundamento. Nam alterum Decretum, alterum minime excludit, ita ut pro diversis casibus et adiunctis parochi et missionarii supra dictis Decretis certe frui valeant. Sed magnum profecto datur discrimen inter facultatem concessam per Decretum S. Congregationis Consistorialis et facultatem de qua sermo est in aliis memoratis Decretis, quatenus, ex illo Decreto, Confirmatio ministrari potest non solum in mortis periculo, sed etiam extra huiusmodi periculum; praeterea sive periculum mortis sit ex morbo sive ex quacumque alia causa.

6. Facultas delegandi ad assistendum matrimoniis sacerdotes, qui Missionum causa ad evangelizandos fideles vel ad aliud exercitium pietatis implendum in longinquas regiones, a parochiali aede dissitas, pergunt, absente Ordinario vel parocho vel vicario

cooperatore (n. 4), non excludit applicationem can. 1098. Latius tamen ea facultas patet. Sane non requiritur periculum mortis, nec peculiaria adiuncta per mensem duratura.

Plures conditiones postulantur, quarum aliae respiciunt valorem delegationis ideoque matrimonii, aliae liceitatem tantum. Attendenda praesertim distantia regionis seu loci et absentia Ordinarii, parochi et vicarii cooperatoris. Delegatio potest esse explicita aut implicita, per modum actus vel etiam per modum habitus concessa.

7. Ordinariis omnibus tribuitur facultas dispensandi super impedimentis matrimonialibus iuris ecclesiastici (n. 5). Excipiuntur quinque: 1° impedimentum ordinis sacri; 2° impedimentum affinitatis in linea recta matrimonio consummato; 3° impedimentum criminis ortum ex adulterio et coniugicidio patrato ab una parte, vel ex coniugicidio commisso mutua opera physica aut morali utriusque partis; 4° impedimentum mixtae religionis; 5° impedimentum disparitatis cultus.

Cum Instructio dicat: « super impedimentis, a quibus Sancta Sedes dispensare *consuevit* », dubitari potest num impedimentum ordinis sacri respiciat presbyteratum dumtaxat ad normam can. 1043-1045, an etiam subdiaconatum et diaconatum. Sed attentis verbis « *ex sacris Ordinibus* », huiusmodi dubium solido fundamento destitui videtur.

Facultas ista dispensandi est subdelegabilis etiam habitualiter ex generali iuris principio.

Praecipitur ut in concedenda dispensatione expressa fiat mentio indulti apostolici. Id tamen non urget sub poena nullitatis ipsius dispensationis.

Item sub eodem n. 5 conceditur facultas « decernendi atque declarandi legitimam prolem nupturientium, dummodo ipsa in adulterio ne sit concepta ». Haec facultas latius extenditur ea de qua in can. 1051, tum quia excludit dumtaxat prolem adulterinam, non autem etiam sacrilegam, ut habet citatus canon, tum quia legitimatio in casu non semper ac necessario connectitur cum dispensatione super aliquo impedimento matrimoniali.

8. Facultas concessa nupturientibus (n. 6). accipiendi quocumque anni tempore « nuptiarum benedictionem », intelligenda est de benedictione *sollemni,* quae ex can. 1108, § 2 vetetur a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive. Ut fiat locus huic facultati non requiritur peculiaris iusta causa neque Ordinarii loci venia de qua in can. 1108, § 3.

9. Sacra olea, scil. catechumenorum, infirmorum et chrisma, ex can. 734, § 1 debent esse benedicta feria V in Coena Domini proxime superiore; nec possunt adhiberi vetera, « nisi urgeat necessitas ». Porro facultas, de qua sub n. 7, ita intelligenda est ad normam can 68, ut sacra olea vetera adhiberi queant etiam extra casum urgentis necessitatis; secus nihil praeter ius commune concederetur.

10. Magni momenti est facultas Ordinariis concessa (n. 8) permittendi sacerdotibus usum altaris portatilis, sub certis tamen praefinitis conditionibus. Inter has conditiones ea potissimum videtur attendenda, ut exclusa maneat celebratio *in mari* iuxta praescriptum can. 822, § 3, et locus sit « decens atque honestus ». Haec verba, ad mentem Instructionis S. Congregationis de Sacramentis diei 1 oct. 1949 (*A. A. S.*, XXXI, 510), ita sunt intelligenda, ut « Missa non celebretur in cubiculis in quibus aliquis dormire solet, neve alio loco tanti Sacrificii dignitati incongruenti ».

11. Ordinarii sacerdotibus concedere valent facultatem celebrandi Missam « *in navi* », nonnullis sub conditionibus (n. 9). Facultas valet dumtaxat tempore itineris, moraliter equidem attendendo, sive agatur de itinere in mari sive de itinere in flumine aut lacu valde amplo, ut exsistit in nonnullis regionibus, v. g. Americae Latinae, dummodo veram navigationem admittat. Incipit a momento quo sacerdos *moraliter* iter arripere censetur, ideoque necesse non est ut navis e portu discesserit; et cessat quando, itinere absoluto, sacerdos in terram descendit.

Mare aut flumen debet esse tranquillum, ita ut habita ratione molis et consistentiae navis, nullum sit periculum Sacram Speciem calicis effundendi. Locus debet esse honestus ac decens; eiusmodi non censetur per se cella privatis viatorum usibus destinata, nisi forte eius amplitudo, vacuitas ab aliis personis, mensa cui altare extrui queat, satis devotam et non indecoram reddat Missae celebrationem.

Ordinarii nomine intelligitur sive Ordinarius loci sive Superior maior religionis clericalis exemptae: hic pro suis respective subditis, ille indiscriminatim pro omnibus.

12. Facultas de qua sub n. 10, nimirum ut omnes fideles Americae Latinae satisfacere valeant praecepto annuae confessionis et Communionis a dominica Septuagesimae usque ad festum Apostolorum Petri et Pauli, benigne conceditur ob peculiaria personarum et locorum adiuncta, potissimum ob penuriam sacerdotum, amplitudinem et distantiam regionum. Tempus supputatur ad normam can. 34, § 3.

13. Propter eadem peculiaria adiuncta modo memorata tribuitur facultas omnibus fidelibus lucrandi indulgentias et Iubilaea quae confessionem et Communionem et ieiunium requirunt, dummodo, servato ieiunio, sint corde saltem contriti et firmum habeant propositum quamprimum poterunt confitendi (n. 11). Eatenus fit locus huic facultati, quatenus fideles « loca inhabitent ubi prorsus impossibile vel saltem admodum sit difficile ad confessarium accedere ». Quae circumstantia *moraliter* intelligenda ac spectanda est. In dubio res decernenda in favorem fidelium ex generali iuris principio.

Favor iste valetne etiam pro lucranda indulgentia Anni Sancti 1950 quoad legitime impeditos, de quibus in Const. *Iam promulmato* Pii XII, 10 iul. 1949 (*A. A. S.*, XXXI, 345)?

Ex una parte videretur negandum, quia Decretum S. Congregationis Consistorialis expresse loquitur de indulgentiis et Iubilaeis « quae confessionem et Communionem et *ieiunium* requirunt »: porro tantum ubi agitur de Iubilaeo *extraordinario,* praeter confessionem, Communionem, visitationem ecclesiae et preces, addi solent *ieiunium* atque eleemosyna; quare in casu, ex mente Decreti videtur agi de Iubilaeo extraordinario, non vero de *ordinario* quod celebratur recurrente Anno Sancto 1950. Ex alia parte non desunt rationes pro sententia affirmante. Sane Decretum loquitur in genere de indulgentiis et Iubilaeis, quin distinguat inter ordinarium et extraordinarium; praeterea favores sunt late interpretandi, nisi obstet expressa voluntas concedentis, de qua hucusque non constat.

F. M. Cappello S. I.
S. C. Consistorialis Consultor.

SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

INSTRUCTIO

AD LOCORUM ORDINARIOS PRO POSTULANDIS APOSTOLICIS INDULTIS: I) ORATORII DOMESTICI CUM SUIS EXTENSIONIBUS; II) ALTARIS PORTATILIS; III) LITANDI MISSAM SINE MINISTRO ET IV) ASSERVANDAE SS.MAE EUCHARISTIAE IN PRIVATIS SACELLIS.

1. Quam plurimum convenire sanctitati incruenti novae Legis Sacrificii honestatem ac decorem loci in quo litatur, impensa testatur cura in eodem deligendo indesinenter adhibita a catholica Ecclesia. Equidem constat tribus prioribus nostri aevi saeculis, saevientibus persecutionibus, sacra Mysteria etiam in privatis aedibus celebrari: et quamvis etiam post adeptam libertatem et christianas basilicas primitus aedificatas non infrequenter, suadente necessitate, Missa litari pergeretur extra ecclesias, temporum decursu tamen eius celebrationi adsignata fuerunt, tamquam nativus locus, ecclesiae aut publica oratoria per consecrationem aut benedictionem a profano usu subducta et uni divino cultui reservata.

Quae vero altera disciplina in Codicis I. C. canonibus 820-823; 1188-1196 recepta est.

2. Ea igitur constabilita, indulta ab Apostolica Sede temporum tractu concessa Missam celebrandi *in privatis sacellis*, aut *super altare portatile* cum facultate satisfaciendi praecepto de audiendo Sacro, habenda sunt quasi exceptiones praefatae legis, iustis quidem de causis invectae, artaeque subsunt interpretationi.

3. Pari disciplina Ecclesia et *asservationem Ss.mae Eucharistiae* tutata est. Licet enim primis eius temporibus et etiam deinceps, pace instaurata, Eadem in privatis domibus detineretur inque itineribus gestaretur pro fidelium commoditate, saeculorum processu et Ipsam in ecclesiis aut in publicis oratoriis asservari exclusive statutum est. De speciali privilegio tantum,

in favorem quorumdam spectatorum fidelium ob specialissima comparata merita erga Ecclesiam, Apostolica Sedes coepit tractu temporis indulgere ut Ss. Species etiam in privatis eorum sacellis asservarentur, opportunis praestitutis conditionibus ac normis Earum sanctitati accommodatis: quod pariter in Codice I. C. cautum est (cann. 1265-1275).

4. Ex antiquo more plurium saeculorum progressu invecto receptum est ut Missae, etiam privatim celebrandae, *adsistat minister aliquis,* qui sacerdoti litaturo ad altare deserviat atque respondeat (cfr. can. 813 C. I. C.).

Extraordinariis dumtaxat quibusdam casibus exceptis (uti infra videbitur III n. 2), ut sacerdos absque ministro inserviente Missam litare valeat, facultate apostolica indiget. Porro unicus iudex de idoneitate causae, quae allegatur ad illam impetrandam, est Apostolica Sedes, quaeque proinde est adeunda expositis adiunctis uniuscuiusque casus propriis.

5. Porro in exposcendis praefatis omnibus facultatibus iisdemque exercendis excessus atque abusus non leves aliquando irrepsisse conspectum est. Huic igitur S. Congregationi, cui universa disciplina in iisdem indultis moderandis est concredita (can. 249), visum est ad difficultates et incommoda removenda, et in posterum praecavenda (de quibus infra I n. 4), praefatorum induitorum integram disciplinam ad trutinam expresse revocare remediaque suppeditare idonea quae infra singillatim recensentur, ut omnia recto ordine componantur.

Ad hoc sane opus explendum efficienter etiam impulerunt Litterae Encyclicae *Mediator Dei,* Pii Pp. XII, fel. regn., diei xx m. novembris MCMXXXVII, de sacra Liturgia,[1] quae « *christianae religionis caput ac veluti centrum Sanctissimae Eucharistiae Mysterium* »[2] cultu debito congruaque religione esse colendum edocent, naviter ad observantiam revocatis liturgicis canonicisque praescriptionibus.

I - De implorando indulto privati oratorii eiusque extensionum

1. Iure Codicis I. C., uti diximus, locus proprius celebrationis Missae est ecclesia vel oratorium publicum aut semi-publi-

---

[1] *A. A. S.*, a. XXXIX, p. 521 seq.
[2] Ibid., II, p. 547.

cum. Demptis vero privatis coemeteriorum aediculis, de quibus in can. 1190, ut in domesticis oratoriis divinum Sacrificium litari atque ab adstantibus praeceptum de audiendo Sacro adimpleri queat, privilegio aut indulto opus est, quod de Apostolicae Sedis gratia dumtaxat tribuitur. Casus tantum aliquis extraordinarius excipitur, quo *per modum actus*, iusta tamen ac rationabili de causa, loci Ordinarius aut, si agatur de domo religionis exemptae, Superior maior, licentiam dare potest celebrandi extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco, numquam autem in cubiculo (cfr. cann. 822, 1249) [3].

2. Ante Concilium Tridentinum Episcopi indulgebant Missae celebrationem in privatis oratoriis in commodum tum clericorum tum laicorum: eademque facultate pollebant pro suis subditis nonnulli ordines regulares. Ast, quum huius iuris exercitium nimiam indultorum frequentiam induxisset gravibusque idcirco abusibus scateret, eadem sacrosancta Synodus (sess. XXII, *de observandis et evitandis in celebratione Missae*) Episcopis et regularibus ordinibus hanc facultatem ademit, paucis admodum exceptis casibus, illamque uni Romano Pontifici reservavit.

Sed nec propterea penitus praepeditum fuit ne reviviscerent abolita incommoda, quae praesertim ex immodica istius privilegii in laicorum bonum indulgentia oriri consueverant [4], si Benedictus XIV, qui a Secretis fuerat Sacrae Congr. Concilii, quae tunc hanc disciplinam moderabatur, scribere non dubitaverit: « *dici vix potest quantum curae ac diligentiae adhibitum sit pro recto eiusdem (iuris) moderamine* » [5].

3. Hinc plurimae prodiere huius indulti *formulae* cum temporum adiunctis congruentes, quibus aptius consuleretur debito divinorum Mysteriorum decori; *cautiones* praeceptae sunt, tum quae ad *loci* erigendo sacello destinati *decentiam honestatemque* attinerent, tum quae ad *causas constabiliendas* unde Romanus Pontifex ad indulgendum moveretur, tum ad *tempus* definiendum ad quod indultum foret valiturum; tum *ad ceteras conditiones*, quibus congruenter privati sacelli disciplina con-

---

[3] Haec tamen Ordinarii facultas restrictive est interpretanda, uti reposuit Pont. Commissio Codicis die 16 oct. 1919 (*A. A. S.*, a. XI, p. 478 ad 12).

[4] Cfr. Benedictus XIV, ep. encycl. *Magno cum*, 2 iun. 1751 (*Cod. Iur. Can. Fontes*, vol. II, p. 318 seq.).

[5] Ibid., § 12.

tineretur; cavendo praecipue ne ex nimia indulgentia huius indulti ob sacerdotum inopiam detrimentum pateretur publicum fidelium spirituale bonum quod ad satisfactionem praecepti de audiendo Sacro pertinet.

4. Temporibus etiam nostris incommoda non pauca nec levia passim irrepserunt in nonnullas nationes ex nimis adaucto privatorum sacellorum numero et ex neglegentia conditionum indultis apostolicis adiectarum, quae latam stravere viam et aliis intolerabilibus abusibus.

Abusus huiusmodi, *ad privata laicorum oratoria quod attinet,* procedere solent:

a) *ex ingenti eorumdem numero,* qui alicubi, ob aemulationem quam inter fideles indulti concessio excitat, ad ulteriora progredi et ultra modum dilabi minitatur;

b) *ex nimia facilitate* tale indultum assequendi nostris diebus ob multiplicatas enixas preces fidelium a locorum Ordinariis passim incunctanter susceptas et commendatas;

c) *ex sacerdotum carentia* pro Missa litanda in ecclesiis publicisque oratoriis diebus dominicis et festis de praecepto cum spirituali fidelium detrimento, si sacerdotes distrahantur ad Missam celebrandam in privatis oratoriis;

d) *ex loco privato sacello adsignato* haud semel a canonicis et liturgicis legibus discrepante, aptis supellectilibus ac debito nitore honestateque destituto dum haud semel cetera privatae domus cubicula luxu ac magnificentia enitent;

e) *ex abnormi numero* divinorum officiorum et sacrarum functionum, quae ibi peragi praesumuntur, adeo ut quasi evanescat discrimen inter ecclesias pubblicave oratoria et domestica sacella;

f) *ex nimio ambitu istorum indultorum,* quae saepe saepius complectuntur, praeter indultariorum personas, eorum natos, consanguineos et affines absque limite, famulos, commensales et hospites, aliquando vero omnes adstantes, cum extensione ad omnes anni dies, nullo excepto, et ad alias quoque facultates;

g) *ex diuturnitate eiusdem indulti,* quod plerumque imploratur pro tota indultarii eiusque filiorum vita, unde quandoque accidit ut privilegium transeat ad personas, quae illo minus dignae aut prorsus indignae reperiatur.

5. Ad ista igitur incommoda compescenda, et ad praecavendum ne in posterum subolescant, Sacrae huic Congregationi infra recensitas *normas* adamussim servandas locorum Ordinariis impertiri placuit, quae tum *postulationes* indulti oratorii domestici, tum ipsius indulti *congruum exercitium moderentur, praesertim quod ad fideles laicos attinet.*

6. Locorum Episcopi in mentem fidelium exposcentium indultum privati sacelli revocent publicam ecclesiam naturalem seu certum esse locum divinorum officiorum, ad quam idcirco necesse est conveniat catholica plebs ad cultum publicum socialem Deo impendendum praecipue adstando Missae celebrationi.

Peculiaria tamen occurrere possunt adiuncta, congruentibus suffulta causis (cfr. infra n. 8), in quibus prudenter coniici potest valde expedire ut fideles nonnulli, *qui ceterum morum probitate apertaque religionis professione excellent,* in suum spirituale solatium indulto privati sacelli decorentur, licet hi ab audiendo Sacro diebus dominicis festisque de praecepto sint legitime dispensati: v. g. ob infirmitatem aut distantiam ab ecclesia. Tunc iidem Ordinarii non vetantur, *audito, quatenus opportunum censuerint, parocho loci,* istorum preces suscipere commendatasque ad Apostolicam mittere Sedem.

Commendatio personaliter fieri debet ab Episcopo aut, sede vacante, a Praelato eius successore in munere.

Sedulo quidem curandum est ut fideles, qui auctoritate, opibus reique publicae muneribus ceteros praestant, si domestico sacello distingui mereantur, sollemnioribus saltem festis diebus de praecepto, in bonum plebis exemplum, ecclesias obeant.

Maiori indulgentia uti licebit *cum sacerdotibus adversa vel non satis firma valetudine ob morbum vel senium laborantibus,* indultum postulaturis Missam litandi domi.

7. Antequam tamen Episcopus preces suscipiat, *in primis* inspicere debet utrum *presbyter* praesto sit qui Missam in privato oratorio litet diebus dominicis et festis de praecepto absque detrimento publici fidelium boni.

Ad rem scite animadvertant vetitum esse sacerdoti in praefato oratorio Sacrum celebrare *si alterum alibi vel iam litaverit vel litaturus sit;* et si in loco (pago vel urbe), ubi erectum sit privatum sacellum, parochus, et si plures parochi sint, eorum

saltem unus, aliusve sacerdos eodem loco commorans memoratis diebus Missam iterare debeat in publicum fidelium bonum, presbyter in domestico sacello litaturus aliunde acciri debet.

Pariter oratoria domestica iam canonice erecta facultate Missam iterandi praedita ob indultum ad tempus impetratum, hoc exspirato, difficiliorem invenient hanc S. Congregationem in eius renovatione.

8. Dein Episcopus attente perpendere debet *causas,* quae ad indultum postulandum afferuntur.

a) Earum *princeps* habenda est *vere singularis benemerentia oratoris erga Ecclesiam vel religionem,* eaque rite describatur in precibus. Puta, si praedii aut aedium conspicuam fecerit donationem; si ecclesiam, seminarium, catholicam scholam aut aliquod pium opus pro infirmis, senibus, pueris etc. suis sumptibus aedificaverit; si ecclesiasticum beneficium aut fundaverit aut dotaverit et similia; si specialissima et insignia servitia in bonum Ecclesiae aut Apostolicae Sedis impenderit, uti, si quis publicus magistratus legibus condendis in religionis profectum praecipuus auctor exstiterit.

b) Aliae causae, quae passim adduci solent, v. g. *corporalis infirmitas, distantia ab ecclesia ideoque grave incommodum ipsam pedibus adeundi,* praesertim *ruri,* et similia, ut habiles censeantur huic indulto impetrando, plerumque perficiendae erunt aliquo praecellenti beneficio aut liberalitate in quoddam pium opus ab Ordinario designandum iuxta oratorum vires.

c) Tamquam inepta ad impetrandum reiicienda est *unica causa,* iuxta quam oratorum maiores eodem indulto fruebantur, aut quia oratores domum aut villam emerunt oratorio, quandoque etiam affabre confecto, cum praescriptis supelectilibus, praeditam; aut quia decora christianae vitae ratione commendantur.

9. Mitius agere poterunt Episcopi si privatum oratorium postuletur *ruri* erigendum, locis ab ecclesiis longe prorsus dissitis, praesertim si illud cedere conspiciatur praeter quam in oratorum etiam in bonum spirituale colonorum fundis addictorum atque fidelium vicinias incolentium, qui secus ob difficultatem adeundi ecclesiam pro adimplendo praecepto, Missae et catecheticae praedicationi quominus intersint morali impossibilitate prohiberentur.

At priusquam oratorum preces suscipiant pro privato sacello ruri constituendo, instent Episcopi ut oratores, non privatum, bene quidem *publicum* ad normam iuris erigant *oratorium* in suis praediis vel possessionibus, adeo ut illud ingrediendi divinisque officiis ibi assistendi omnibus fiat facultas (can. 1191).

10. Sese abstineant Episcopi *a nimiis extensionibus postulandis;* satius esto ut indultarii renuntientur dumtaxat pater et materfamilias, minime vero istorum filii, pro quibus sufficiat facultas satisfaciendi praecepto festivo in eodem oratorio.

Facultas ista coërceatur ad *consanguineos et affines* intra lineam et gradum quibus consanguinitas et affinitas constituunt impedimentum matrimonium dirimens (cann. 1076 §§ 1-2; 1077 § 1), *cohabitantes,* nec sine rationabili validaque causa rogetur ut protendatur etiam ad non cohabitantes. Quoad vero *familiares* (famulos), peti potest, sive oratorium sit ruri situm sive non, extensio ad omnes domui addictos. Praesertim se abstineant a petenda extensione *ad omnes adstantes;* quae quidem debet esse omnino extraordinaria et gravissima de causa concedenda. Cavendum quidem erit ne oratorium privatum speciem prae se ferat ecclesiae.

11. *Ceteris exclusis divinis officiis sacrisque functionibus,* in privato sacello ad normam can. 1195 § 1, *unica Missa eaque lecta* celebrari potest, in qua S. Communio administrari licet, nisi aliud in indulto expresse caveatur. Tolerabilius erit ut aliqua alia functio singulis vicibus et per modum actus iusta de causa tribuenda (nec statutis diebus recurrentibus renovanda), parce et prudenter concedatur ab Ordinariis (cann. 776 § 1 n. 2; 908-910; 1109 § 2), quam ut impertiatur ex indulto Apostolicae Sedis.

12. Caute pariter procedant oportet Ordinarii *in postulandis extensionibus ad sollemniores dies, cautissime ad sollemnissimos, Paschate semper excepto* [6].

---

[6] Iure, quo nunc regimur, *sollemniores* habendi sunt:

Dies Nativitatis D. N. I. C.; Ep. Hiphaniae; Paschatis Resurrectionis; Ascensionis; Pentecostes; S. Ioseph (19 m. martii); Assumptionis B. M. V. in caelum; Immaculatae Conceptionis B. M. V.; Ss. Apostolorum Petri et Pauli; Omnium Sanctorum.

Pro Gallia quatuor sollemniores recensentur:

Dies Nativitatis D. N. I. C.; Paschatis Resurrectionis; Pentecostes; Assumptionis B. M. V. in caelum.

13. Si prudenti Episcopi iudicio sacerdos saecularis vel religiosus celebrans in privato oratorio, diebus dominicis et festis de praecepto *necessarius* sit ad litandum in ecclesia aut publico vel semi-publico oratorio, ne notabilis fidelium pars Missa privetur, Episcopus illi *interdicere debet Missam* in privato sacello, quin quisquis contra huiusmodi vetitum aliquid excipere queat (cfr. n. 7). Expedit ut Ordinarius hunc necessitudinis casum indultario significet dum indultum exsequitur ad quaslibet querelas dein praecavendas ex propterea denegata Missa in eius oratorio.

14. Unius Episcopi est designare Missae in domestico oratorio celebrandae sacerdotem sive saecularem, licet alienae dioecesis sit a proprio tamen Ordinario adprobatus, sive religiosum cum regulari licentia sui superioris; sacerdotem vero alterutrius cleri, ut supra adprobatum, ab indultario praesentatum ne reiiciat, nisi forte non idoneum pro sua prudentia aestimaverit: Episcopi autem iudicio indultarius, qualibet dempta recursus facultate, acquiescere debet.

15. Quoad *locum* in quo erigi debet oratorium, Ordinarius clausulas apostolico indulto adiectas adamussim exsecutioni demandet: quolibet autem casu, per se vel per aliam ecclesiasticam personam locum invisere debet, antequam licentiam impertiat ibi celebrandi Sacrum, *si decens atque honestus* comperiatur, prout tantum Mysterium decet, idoneisque supellectilibus instructus sit iuxta liturgicas praescriptiones.

Probe sciant oportet Ordinarii vetitum esse usum *armarii* clausum continentis altare, quod pro Missae celebratione collocatur in quodam conclavi, tablino aut bibliotheca etc., in locis nempe, quae inserviunt promiscue usibus domesticis et profanis. Talis vero usus non est e contra improbandus, ceteris concurrentibus quod attinet ad decentiam et honestatem loci, in quo dictum armarium collocatur, si agitur *de Missa domi litanda* pro sacerdotibus senio confectis aut morbo laborantibus et *de indulto altaris portatilis*, de quo infra (II n. 9).

16. Quod ad *tempus attinet*, ad quod valere debet indultum oratorii, pro natura causae quae allegatur, huius S. Congregationis erit illud praestituere.

Sollemnissimi habendi sunt:

Dies Nativitatis D. N. I. C.; Paschatis Resurrectionis; Assumptionis B. M. V. in caelum.

17. Locorum Ordinarii adhortari ne omittant privati sacelli indultarios ut in oratorium singulis diebus convocare satagant integram familiam, cum famulis forte eidem addictis, saltem horis vespertinis tertiam Ss. Rosarii partem in honorem B. M. V. recitaturam aliasque pias preces serotinas ad Deum fusuram: id enim excellenti exemplo foret omnibus familiae membris plurimumque conferet ad genuinam erga Deum pietatem christianaeque vitae institutionem fovendam ita ut parentum genuina fides spectatique mores in filios ac nepotes integre propagentur indesinenterque perseverent.

18. Iidem Ordinarii completum *elenchum* scripto conficiant, asservatumque sedulo teneant in Curiae archivo cum necessariis additamentis ac deductionibus, privatorum oratoriorum, quae in dioecesi erecta sint, sibi apprime comparatis exemplaribus eorumdem erectionis titulorum. Si qua autem reperiant oratoria, quibus non suffragetur canonicus titulus, tamquam contra ius invecta supplimant necesse est, revocentque licentiam ibi celebrandi Sacrum: re interea ad hanc S. Congregationem delata.

Quae vero fuerint legitime erecta, occasione visitationis dioecesis, rite perlustrent invisuri num omnia supellectilia liturgicis legibus respondeant et, si quid inhonesti atque indecori deprehendant quod sanctitati ac reverentiae divinorum Mysteriorum officiat, illico amovere studeant. Eo magis vero est inquirendum si incommoda atque abusus irrepserint eaque prorsus eradicanda curent, suspensa interea in utroque casu facultate inibi litandi, non amplius concedenda nisi postquam eadem fuerint amota, cauto dein ne ipsa in posterum reviviscant: re interea ad hanc S. Congregationem denuntiata. Recursus forte interpositus adversus hoc Ordinarii statutum ad Apostolicam Sedem est tantum in devolutivo. Ius vero sibi competens invisendi haec oratoria, quoties necessarium pro sua prudentia duxerit, Ordinarius alte penes indultarios vindicet.

19. Sub fine anni 1950 Ordinarii mittant ad hanc S. Congregationem integrum *elenchum* privatorum oratoriorum in dioecesi exsistentium, recolitis eorundem canonicis erectionis titulis.

II - De postulando privilegio altaris portatilis

1. Privati sacelli indulto affine est *altaris portatilis*, seu *arae viaticae*, vel *gestatoriae* aut *itinerariae* privilegium, eoque latius patet, quippe quod « *facultatem secumferat ubique celebrandi, honesto tamen ac decenti loco et super petram sacram, non autem in mari* » (can. 822 § 3): proinde Missae celebratio nullo circumscribitur loco exclusive divino cultui destinato, qui nec Ordinarii indiget visitatione et approbatione.

Attenta igitur huius favoris maiori amplitudine, eo potiora pertimescenda sunt pericula abusuum iacturaeque decoris augustissimo Missae sacrificio debiti, quod duplici ex capite accidere potest: *ex parte loci*, si incongruens tanto Mysterio deligatur (v. g. cubiculum); *ex parte privilegiati*, si tali indulto abutetur, immodice ipsius exercitio fruendo.

Profecto omni ope est adnitendum ut praefata arceantur pericula, et privilegium parce prudenterque concedatur, spectatis historicis vicissitudinibus privilegii ipsiusmet et praesertim rigore a Conc. Tridentino instaurato, quod et huius indulgendi facultate exspoliavit Episcopos et quosdam regulares ordines qui ea fruebantur. Deinceps a primaeva severitate recedens, Apostolica Sedes privilegium dumtaxat tribuit, pro ipsorum decore ac necessitate, quibusdam Praesulibus, necnon locis missionum [7].

2. Arae viaticae privilegii duplex recolitur fons a memorato canone 822 § 2 descriptus, scilicet *ius* et *indultum* Apostolicae Sedis.

Porro *iure* Codicis I. C. hoc privilegio potiuntur tantum S. R. E. Cardinales (can. 239 § 1 n. 7); Exc.mi Episcopi tum residentiales tum titulares (can. 349 § 1 n. 1); Vicarii ac Praefecti Apostolici (can. 294 § 1; 308); Abbates et Praelati *nullius* (can. 323 § 1) atque Administratores Apostolici (can. 315).

Vi autem Const. *Ad incrementum*, Pii Pp. XI, f. r., diei 15 aug. 1934 [8], eodem privilegio fruuntur aliae valde numero circumscriptae personae ecclesiastica dignitate fulgentes, quae conspicua obeunt munera in Romana Curia, id est: Exc.mi

---

[7] Cfr. S. C. de Prop. Fide, 13 aug. 1669, *Collect.*, I, p. 60, n. 184; S. R. C., *Congr. Missionum Provinciae Lituaniae*, 11 iul. 1699 (*Coll. auth. decr.*, decr. 2032).

[8] *A. A. S.*, a. XXVI, pp. 497-521.

Praelati qui in SS. RR. Congregationibus Assessoris vel Secretarii munere funguntur; Magister seu Praefectus Cubiculi Secreti Summi Pontificis; Secretarius Tribunalis Signaturae Apostolicae; Decanus S. R. Rotae; Substitutus Secretariae Status; Rev.mi Protonotarii Apostolici de numero Participantium; Praelati Auditores S. R. Rotae; Clerici Reverendae Camerae Apostolicae; Praelati Votantes et Referendarii Signaturae Apostolicae.

Hi omnes gaudent praeterea privilegio oratorii domestici ipsisque Sacrum quotidie ibi litare ius est, diebus tantum exceptis qui proprio sacerdotis ritu excluduntur (can. 820). Fideles autem omnes qui ipsorum Missae assistunt, praecepto de Sacro audiendo rite planeque semper satisfaciunt.

Utroque casu, attentis personarum praestantia isto privilegio iure pollentium earumque numero sat exiguo, incommoda non praevidentur oritura ab istius temperato exercitio, quod ipsa earundem dignitas satis tutari videtur.

3. Longe uberior privilegii fons evadere potest *indultum* Apostolicae Sedis, nisi concessio congruis contineatur limitibus cautaque circumspectione valletur: peculiari proinde cura et ponderatione sese gerere debent Episcopi in postulando tanti ponderis indulto.

4. Porro haec S. Congregatio privilegium istud concedere solet, ob causam *verae necessitatis evidentisve utilitatis* atque in finem exclusivum aut potiorem religiosi cultus, *solis sacerdotibus*, quippe qui maiora perhibeant recti exercitii argumenta.

Praecipui casus, qui frequentius recurrunt, sacerdotes respiciunt animarum curam gerentes inter fideles dissitis locis commorantes, ubi ecclesiae vel desunt omnino vel longe distant, aut in regionibus haereticorum aut schismaticorum (diaspora). Primum accidere solet plerumque in amplissimis regionibus praesertim Asiae et Americae, quas fideles rari et passim diffusi incolunt, qui Sacro assistere nequeunt nisi litetur extra loca sacra et etiam sub dio: v. g. tempore messium.

Quandoque indulti necessitas postulatur ab aliqua sollemnitate religiosa aut etiam civili magno celebranda populi concursu, quem ecclesiae capere non valent.

Nec refugit Apostolica Sedes ab altari portatili indulgendo quando agitur de adulescentibus masculini sexus actionis catholicae, de alumnis ephebeorum, qui sub ductu et assistentia

suorum cappellanorum itinera per campos aut montes, locis sacris carentes, arripiunt huc illuc discurrentes animi relaxandi causa: quod quidem plurimum confert ad eucharisticam pietatem in ipsis dudum servandam et provehendam.

Interdum id indulgetur quoque in eucharisticis conventibus, ut opportunitas perhibeatur sacerdotibus eosdem participantibus, ob ipsorum ingentem numerum, Missam litandi si ecclesiae ad rem sufficere nequeant.

5. In bonum *personale* solius sacerdotis privilegium istud confertur tantummodo *ratione infirmitatis*, si infirmitas talis sit ut necessario indultum huiusmodi postulare videatur. Quo casu peculiaribus cautelis illud subiicit Sacra haec Congregatio ne ansam abusibus vanaeque ostentationi privilegium praebeat, quae non ultima causa exstitit suppressionis tridentinae: haud exclusa revocatione privilegii, si quid minus recte factum compererit eadem S. Congregatio quoad eius exercitium; ad rem imposito onere Ordinariis vigilandi atque referendi de ipsius immodico usu.

6. Aegro quidem animadvertitur animo nostris temporibus, praesertim post ultimum confectum bellum, quodammodo serpere inter fideles valde periculosa ac detestabilis consuetudo celebrandi citra necessitatem divini cultus caeremonias ipsaque sacrosancta religionis Mysteria extra nativam sedem, quae est ecclesia aut locus eiusmodi fini consecratione aut benedictione destinatus. Eadem oppugnetur oportet totis viribus tamquam corruptela iuris, verumque conamen contra canonicas praescriptiones ad profanum usum convertendi augustissima Ecclesiae sacramenta venerandaque functiones et ritus.

Id pressius loci Ordinario recogitandum est cum ab ipso expostulant sacerdotes indultum altaris portatilis.

7. Locus in quo collocari debet altare portatile *congruus* et *decens* seu *opportunus* et *honestus* sit oportet, ne propter foeditatem et indecentiam gravis iniuria et irreverentia rependantur in divina Mysteria.

Locus congruus postulat securitatem et amplitudinem, ita ut tute et commode et sine ullo periculo profanationis aut effusionis Ss. Specierum e calice Missa offerri possit; *locus decens* respicit qualitatem loci, scilicet requirit ut Missa non celebretur in cubiculis in quibus aliquis dormire solet, neve alio loco tanti Sacrificii dignitati incongruenti.

Ad decentiam pertinet etiam locus immediatus nempe mensa super quam collocatur ara viatica: ne videlicet immunda sit neve profanis destinata usibus. Haec vero mensa talis debet esse longitudinis et latitudinis quae tuto valeat lapidem regere, missale sustinere et rectam decentemque celebrationem permittere.

8. Incommodorum non spernendus fomes procedit ex falsa huius indulti notione. Animadvertatur enim privilegium istud, quod ad celebrationem Missae attinet, stricte *personale* esse suffragarique dumtaxat personae privilegiati, nisi aliud ex tenore indulti expresse constet. Sacerdos igitur eodem gaudens, ipse solus valet super altare Missam offerre nec fas est alteri presbytero ibidem litare, nisi id aperte in indulto caveatur.

Ad alios praecavendos abusus Apostolica Sedes solet quasdam indulto adiicere clausulas et declarare utrum privilegii concessio valeat etiam pro satisfactione praecepti ex parte fidelium Missae adstantium. At, si id expresse non caveatur in indulto, prae oculis habenda sunt quae Gattico docet (*De usu alt. port. opusculum*, cap. XV, n. 14): « quantum porro attinet ad alios (praeter indultarium aut indultarios) adstantes (Sacro, quod in altari portatili litatur) manifesto constat, *eos nullatenus ecclesiastico praecepto auditionis Missae satisfacere, nisi expresse ad illos privilegii communicatio extendatur* ».

Si tamen vi istius indulti Missa *sub diu* celebratur, ex statuto can. 1249, quilibet fidelis eidem assistens, legi de audiendo Sacro satisfacit.

9. Hisce praemissis, in postulando huiusmodi privilegio, quae infra recensentur animadversiones prae oculis habeant necesse est locorum Episcopi:

a) Quoties privilegium istud postuletur a sacerdotibus *infirmitatis causa*, imprimis perpendat Episcopus utrum propositae necessitati consuli possit *per indultum Missam litandi domi*, seu *loco honesto atque decenti*, semper tamen excluso cubiculo, in quo quis dormire solet, ac proinde in aliquo conclavi ordinarie pro usibus profanis adhibito, quod tamen in sua suppellectili nihil praeseferat indecori aut inhonesti sanctitati Eucharistici Sacrificii repugnantis. Isto casu non improbatur usus *armarii* de quo sub I n. 15.

Tunc Episcopus abstineat ab implorando arae portatilis

indulto, sed *facultatem,* prout supra, postulare poterit *litandi Missam domi loco honesto et decenti.*

Quod si necessitas celebrandi comperiatur pro pluribus locis extra propriam oratoris dioecesim, quae loca, puta, ipse petere cogatur, *ratione recuperandae valetudinis,* fas est facultatis istius extensionem ad plures dioeceses invocare.

b) Quolibet autem casu, sive sacerdos facultate polleat ex indulto Missam litandi domi loco honesto atque decenti, sive ex privilegio altaris portatilis, id semper erit apprime cavendum *ne ipse Missam celebret in cubiculo;* si Sacrum igitur celebrare valeat, illud peragat in aliqua alia honesta mansione domus decenter ornata.

c) Caute procedatur in suscipiendis precibus ad hoc proprie nuncupatum sane conspicuum privilegium *altaris portatilis* implorandum. Istud dumtaxat publico fidelium bono inservire debet: quare sedulo ipse Episcopus pro sua pastorali sollicitudine investiget num legitima in singulis casibus causa succurrat *verae necessitatis* aut *evidentis utilitatis,* prout sub n. 4 declaratum est.

Nec minori cautela agere debet quoties gratia haec petatur in bonum privatum presbyterorum ob allatam *infirmitatis* rationem: severe tunc inquirat de exsistentia istius causae, deque eius gravitate atque natura, quae scilicet ea esse debet, ut necessario postulet concessionem huius indulti. Nec facile in ista investigatione peragenda acquiescat oratorum affirmationibus, sed etiam per peritum medicum, ex officio quatenus opus sit deputandum, rei veritatem exploret.

Praeterea antequam preces suscipiat, certo sibi constare debet sacerdotes hoc privilegium imploraturos, sive in suum privatum ratione infirmitatis commodum sive in publicum fidelium bonum, temperate riteque privilegio tam singulari esse usuros et quodlibet incommodum ac irreverentiam erga divina Mysteria esse amoturos.

Haec adiuncta omnino accurate sunt describenda in precibus ad hanc S. Congregationem mittendis, cui ceterum ex Audientia Ss.mi reservatum semper manet iudicium de causarum idoneitate ad indulgendum.

Commendatio precum fieri debet personaliter ab ipso Episcopo aut Praelato eius successore in munere.

d) S. Congregatio indulto **arae** portatilis alterutram clau-

sulam adiicere solet: « *de consensu Ordinariorum* » aut « *praemonito loci Ordinario* » prout indultarius, qui varias peragrat dioeceses, facile aut difficulter Ordinarium loci potest adire pro sui privilegii legitimo exercitio.

Utraque clausula proinde onus vigilandi Ordinariis committit ad praecavendos abusus in privilegii usu. Si quod vero comperiant ab indultario admissum reverentiae divinis Mysteriis debitae repugnans, illico privilegii exercitium revocandi sciant se esse facultate praeditos, qualibet personarum acceptione posthabita. Si autem abusus huiusmodi extra dioecesim indultarii colligatur, huius loci Ordinarius interdicere debet privilegii exercitium in sua dioecesi et interea obligatione tenetur Ordinarium illius proprium de re edocendi, qui privilegii usum suspendet ac S. Congregationem adibit petens quid faciendum supersit in casu. Quilibet recursus indultarii habeatur tantum in devolutivo.

e) Si vero contingat ut post indulti exspirationem illud denuo prorogari oporteat, iisdem occurrentibus pristinae concessionis causis aut alia gravi exstante causa, Episcopi referre tenentur quanam ratione indultarius praehabito privilegio fruitus sit.

f) Demum curandum est ut debito cum honore et reverentia teneatur altare viaticum, quoniam id postulat petrae consecratio. Hinc diligenter in itineribus est transferendum cauteque custodiendum: atque in munda capsula collocari expedit, ita ut ab omnibus profanationum periculis immune sit. Nihil porro dicendum est de necessitate aliarum rerum, quae iuxta sacros ritus in omni Sacrificii oblatione sunt necessariae, vestes videlicet, vasaque sacra, tres mappulae mundae et alia omnia a quibus per concessionem usus arae viaticae nemo dispensatur [9].

III - De postulanda facultate celebrandi Missam sine ministro

1. « ... *Ob huius tam augusti Mysterii dignitatem, volumus atque urgemus — quod ceteroquin semper praecepit Mater Ecclesia — ut nullus sacerdos ad altare accedat, nisi adsit mi-*

---

[9] Cfr. Missale Rom., tit. *Rubricae generales missalis*, c. XX, *de praeparatione altaris, et ornamentorum eius.*

nister, qui ei inserviat eique respondeat, ad normam canonis DCCCXIII »[10]. Re enim vera canone 813 C. I. C. prohibetur sacerdos Missam litare sine ministro, qui eidem inserviat et respondeat.

Minister designat fidelium conventum iuxta illud Divi Thomae (Sum. Theol. p. III p. 83 a. 5 ad 12) « (minister) *gerit personam totius populi catholici* »: id quoque evincitur ab antiquissimo Ecclesiae more iuxta quem presbyter sacra Mysteria gerebat cum assistentia diaconorum et aliorum ministrorum et omnis populus respondebat. Missa celebrata a solo presbytero cum unico ministrante est posterioris temporis. Id patet etiam ab universali et concordi doctrina liturgistarum et moralistarum.

Ceterum nonnullae Missae partes (orationes, « confiteor », « orate fratres » cum responsione « suscipiat » ac versiculi non pauci etc.) numero plurali exprimuntur ad ostendendam praesentiam alicuius ministri sacerdoti assistentis. Praeterea maxime convenit ut sacerdos in celebratione habeat cooperationem seu suffragium unius deservientis, qui ipsum adiuvet ad quosdam ritus explendos et casu repentinae corporis offensionis ei succurrat ac quid sit agendum provideat.

Consuetudo celebrandi Missam sine ministro, immo *nemine praesente*, ortum duxisse videtur in monasteriis.

2. Lex utendi ministro in Missa perpaucas tantummodo patitur exceptiones, quae ab AA. rei liturgicae et moralis peritis uno consilio reducuntur ad sequentes casus:

a) si viaticum ministrari debeat infirmo et minister desit;

b) si urgeat praeceptum audiendi Missam ut populus eidem satisfacere possit;

c) tempore pestilentiae, quando haud facile invenitur qui tale ministerium expleat et secus sacerdos debeat per notabile tempus se abstinere a celebrando;

d) si minister e loco abscedat tempore celebrationis, etiam citra consecrationem et offertorium: quo casu reverentia sancto Sacrificio debita prosecutionem exigit etiam illo absente.

Extra hos casus, pro quibus habetur unanimis auctorum consensus, huic legi derogatur dumtaxat per apostolicum indultum, praesertim in locis missionum.

---

[10] Ex Litt. Encycl. *Mediator Dei* (*A. A. S.*, loc. cit., p. 557).

3. Est tamen prae oculis habendum: inter carentiam ministri et usum alicuius minus idonei inservientis, alteram hypothesim praeferri debere, dummodo minister huiusmodi saltem capax sit explendi praecipuas caeremonias, uti porrigere ampullas, missale transferre, tintinnabulum agitare [11].

4. Exceptis necessitatis casibus in n. 2 enumeratis, vi citati can. 813 requiritur praesentia ministri in Missae celebratione: rubrica missalis praefert, quantum fieri possit, clericum laico, qui est adhibendus si clericus desit, qui et ipse debet esse masculini sexus: omnes AA. unanimiter docent esse sub mortali prohibitum mulieribus, etiamsi moniales sint, ministrare *ad altare.*

Sapienter igitur Ecclesia prioribus temporibus statuerat esse adhibendum qua ministrum in Missa privata clericum prima tonsura insignitum (S. R. C., *Coll. auth. decr.*, decr. 113, ad VI); et solum temporum decursu, clericis pro tali servito rarefactis, ex necessitate concessit ut laici adhiberentur praesertim pueri (ibi, decr. 3647, ad VII): qui usus hodie latissime patet.

Ad pueros quod attinet, hi debent sedulo institui ut idonei fiant administri huic pernobili muneri explendo.

5. Casu necessitatis, deficiente viro, clerico aut laico, rel. canon 813 *mulierem* admittit ad servitium s. Missae, sub conditione tamen ut « *ex longiquo respondeat, nec ullo pacto ad altare accedat* ». Id etiam valebat iure Decretalium [12], ubi legitur « *prohibendum quoque est, ut nulla foemina ad altare praesumat accedere aut presbytero ministrare aut intra cancellos stare sive sedere* »: mulieris igitur ministerium ad hoc reducitur ut *celebranti respondeat:* [13] proinde oportet ut ante Missam omnia sacerdoti commode disponantur quae divino Sacrificio occurrere possint, uti solet fieri in cappellis monialium, cum desit minister.

Ut mulier adhibeatur loco ministri masculini sexus, iuxta relati canonis praescriptum requiritur *iusta causa.*

---

[11] Cfr. Missale Rom., tit. *de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus*, c. X, n. 1.

[12] C. 1, *de cohabitatione clericorum et mulierum*, III, 2.

[13] S. R. C., *Veronen.*, 27 aug. 1836, ad 8; *Alatrina*, 18 mart. 1899, ad VI; decr. 2745, ad VIII et 4015, ad VI.

Indultis vero, quae conceduntur ab hac S. Congregatione, litandi sine ministro, clausula semper adiicitur cavendi nempe « *ut ad mentem can. 813, nedum pueri edoceantur de modo inserviendi s. Missae sed etiam fideles, ipsaeque mulieres addiscant quomodo possint Missae inservire, legendo responsiones sacerdoti celebranti reddendas* ».

Nuper vero Sanctitas Sua aliam clausulam indulto litandi Missam sine ministro inserendam praecepit, nempe « *dummodo aliquis fidelis Sacro assistat* », cui nullimode derogari praestat.

IV - De postulando indulto asservandi Ss.mam Eucharistiam in privatis sacellis

1. Preces quae huic S. Congregationi ad huiusmodi indultum implorandum perhibentur, experientia teste, fere numero contendunt cum imploratione privati oratorii: haud raro utrumque indultum una simul petitur, aut statim post impetratum oratorium facultas exposcitur ibi asservandi Ss.mam Eucharistiam. Nec uni alterive recusationi acquiescunt oratores, sed instanter, et instantissime non semel, optatum suum consequi nituntur.

Porro ex una parte saepe sponsiones non suppeditantur pro debita reverentia, honore ac iugi adoratione Ss. Specierum; nec semper necessaria certitudo potest comparari de securitate custodiae Earumdem ad normam Instructionis huius S. Congregationis, die 26 maii 1938 [14].

Ex altera parte causae, quibus suffragari precibus contendunt postulatores, ut plurimum ineptae conspiciuntur huic praeclarissimo privilegio indulgendo. Eaedem fere semper reducuntur:

a) ad eucharisticam indultariorum pietatem explendam atque fovendam;

b) ad eorumdem aliqualem benemerentiam, generice plerumque dumtaxat enunciatam, erga Ecclesiam;

c) ad distantiam eorum domus habitationis ab ecclesia ubi Ss.ma Eucharistia asservatur, ad quam interdum senio aut infirmitate detenti prohibentur accedere pro cotidiana visitatione: et ad alias huiusmodi etiam minoris momenti.

---

[14] *De Ss.ma Eucharistia sedulo custodienda* (*A. A. S.*, a. XXX, p. 198 seq.).

2. Facultas Ss.mae Eucharistiae asservandae quandoque petitur pro oratoriis *ruri* (in castris) sitis, ab ecclesiis longe dissitis, ubi aut habitualiter moratur indultarii familia, aut per notabilem anni partem, v. g. aestivo aut autumnali tempore, rusticatur: ibi de more magna protenduntur camporum spatia cum stabili residentia colonorum fundis addictorum, quorum numerus aliquando conspicuus reperitur, quibus graviter aegrotantibus Ss.ma Eucharistia et pro viatico recipiendo solet inservire.

Longe tamen maior postulationum numerus huius indulti respicit asservationem Ss. Sacramenti in privatis sacellis, in urbe aut pago erectis, in privatum commodum indultariorum personarumque cum ipsis commorantium, quae quidem personae non raro ad numerum valde exiguum reducuntur.

3. Equidem priori casu Sacra haec Congregatio facilius ad indulgendum inducitur ceteris concurrentibus conditionibus et cautelis, tum quod ad securitatem custodiae et reverentiae Sacramento debitae, tum quod ad diuturnam adorationem attinet ex parte fidelium vicinias incolentium, ad rem cavendo in indulto ut per aliquot saltem diei horas oratorii fores pateant iisdem Ss.mam Eucharistiam cupientibus.

Altero autem casu ad indulgendum difficiliorem se praebet, posthabitis et instantioribus precibus ab oratoribus porrectis. Abs re non erit in mentem revocare primarium ac primigenium finem asservandarum in ecclesiis Ss. Specierum extra Missam esse administrationem viatici; secundarios vero fines esse S. Communionem diribendam extra Missam in ecclesiis atque adorationem D. N. I. C. sub iisdem speciebus delitescentis.

Asservatio igitur Ss.mae Eucharistiae in domesticis sacellis haud opportuna apparet:

a) ex defectu finis praecipui ac primigenii asservationis Ipsiusmet;

b) ex absentia necessitatis frequenter ibi diribendae S. Communionis extra Missam;

c) ex formidine profanationis, irreverentiae aut non satis frequentis adorationis.

4. Ut Ss.ma Eucharistia custodiri possit in privatis sacellis necessarium est indultum apostolicum; loci Ordinarius hanc licentiam concedere non valet nec per modum actus licet iusta causa intercedat (can. 1265 § 2). Nemini licet Ss.mam Eucha-

ristiam apud se retinere aut secum in itinere deferre (cit. can. § 3).

Ex antiqua constantique praxi Apostolica Sedes licentiam asservandi Ss.mam Eucharistiam in cappellis domesticis privatarum domorum non solet concedere « *nisi casibus extraordinariis, gravibus de causis, praevia commendatione Episcopi et additis opportunis cautelis* ».

Alte igitur insideat in mentibus Exc.morum Episcoporum residentialium *omnia quae infra recensentur simul concurrere debere* priusquam ad facultatem reservationis Ss.mae Eucharistiae postulandam inducantur.

Indultum huiusmodi conceditur solummodo:

a) *casibus revera extraordinariis*: qui vero casus, spectata vastitate plus minusve dioecesis, ad minimum sunt coarctandi;

b) *gravibus de causis*: agi enim debet de oratoribus undequaque eximiis, de Ecclesia et religione, sive ob personalia munera praestita aut collatum praecellens beneficium liberalitatemve in pios usus, optime meritis; qui ob apertam fidei professionem, honestatem vitae sive privatae sive publicae, subolisque catholicam institutionem in praeclarum exemplum fidelium vere emineant;

c) *si preces ab ipso Episcopo personaliter aut Praelato eius successore in munere commendentur;*

d) si in precibus singillatim exhibeantur sponsiones de securitate custodiae; frequenti adoratione ex parte indultarii eiusque familiarium aut etiam extraneorum fidelium; crebra renovatione Ss. Specierum iuxta rubricas; lampadis praesentia diu noctuque collucescentis in oratorio ante tabernaculum; atque observantia ceterarum praescriptionum liturgicarum quoad debita Ss.mae Eucharistiae decus et reverentiam (can. 1265 § 1).

5. Locorum Ordinariis onus incumbit per se vel per alium ecclesiasticum virum frequenter invisendi domesticum sacellum indulto Ss.mae Eucharistiae asservandae praeditum atque inspiciendi num omnes liturgicae et canonicae regulae atque speciales clausulae indulto ipsi adiectae adamussim serventur, et si quid deprehenderint quod aut securitati aut congruenti decori et reverentiae officiat, sciant se facultate pollere necessaria adhibendi remedia ad quoslibet abusus avellendos, non excepta ipsa privatione Ss.mae Eucharistiae cum oratorio, si

rei gravitas postulet, salvo recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem.

Cum E.mi ac Rev.mi Patres Cardinales Sacrae huic Congregationi praepositi praefatam Instructionem sedulo examini subiecissent in Plenariis Comitiis diei 26 m. Martii 1949, eandem probarunt et publici iuris fieri, si ita Sanctissimo placuerit, rescripserunt.

Ss.mus autem D. N. Pius Papa XII, in Audientia die 6 m. Septembris 1949 habita ab infrascripto Secretario S. C., Instructionem, de qua supra, certa scientia et matura deliberatione approbare et Apostolica Auctoritate munire dignatus est, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus atque mandavit ut Instructio eadem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali* ederetur, ab omnibus sacerdotibus et fidelibus latini ritus sedulo et religiose servanda.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 1 mensis Octobris anno 1949.

+ B. Card. Aloisi Masella., Ep. Praen., *Pro-Praefectus*

L. + S.

F. Bracci, *a secretis.*

(*A. A. S. vol.* XXXXI pp. 493-511)

ADNOTATIONES

1. Finem sane egregium sibi proposuit S. Congregatio de Sacramentis edendo relatam sat amplam adminiculatamque Instructionem diei 1 m. octobris 1949, suppeditandi nempe locorum Ordinariis (can. 198 § 2 C. I. C.) certas regulas servandas, ad quarum normam, sublatis abusibus, postulare et impetrare poterunt quatuor apostolica indulta, quae singillatim recensentur ab inscriptione ipsius pontificii documenti: 1) *oratorii domestici;* 2) *altaris portatilis;* 3) *Missae litandae sine ministro;* 4) *asservandae SS. Eucharistiae in privatis sacellis;* quaeque totidem constituunt partes in quas Instructio dispescitur, cui prolegomenorum seu proemii instar nonnullae animadversiones (nn. 1-5) inscribuntur.

2. Profecto notabile momentum iuridicae disciplinae, ab apostolico documento ad trutinam revocatae et in idoneas digestae praescriptiones, illico apparet consideranti impertitas regulas prae-

cellentem SS. Eucharistiae cultum, sub ratione sive sacrificii sive sacramenti inspectae, intime attingere.

Re enim vera duabus prioribus facultatibus indulgetur litatio divini Sacrificii extra ecclesias publicave oratoria, quae veluti nativa loca sunt habenda sacrorum Mysteriorum celebrationi destinata, iisdemque indultis locorum honestas ac decentia tanto Mysterio debita rite cavetur, praehabito aequatarum concursu causarum, quae legi generali divinum cultum in ecclesiis explendum praecipienti tam gravem derogationem suaderent.

Tertia facultate dispensatio conceditur a ministro, qui sacerdoti litaturo deservire ac respondere tenetur vi can. 813, ad quam indulgendam gratiam adiuncta reapse extraordinaria interesse praecipiuntur.

Postrema demum facultate indulgetur ut SS. Species in privatis sacellis custodiantur; conditiones omnes igitur recoluntur ab Instructione quibus tam singularis apostolicae gratiae concessio obsequatur oportet, tum quod attinet ad securitatem custodiae et reverentiam debitam augustissimo altaris Sacramento, tum ad peculiaria merita quibus praeditos esse praestat quotquot ita sane conspicuum privilegium ab Apostolica Sede impetrare moliuntur.

3. Huiusmodi igitur inspecto pernobili Instructionis argumento, facile intelligitur sollemnis eiusdem adprobatio a Beatissimo Patre, Pio XII, fel. regn., impertita per sequentia verba sub fine Instructionis relata « ... *certa scientia et matura deliberatione* (Instructionem) *approbare et apostolica Auctoritate munire* (Sanctissimus) *dignatus est, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus, atque mandavit ut Instructio eadem in Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali ederetur, ab omnibus sacerdotibus et fidelibus latini ritus sedulo et religiose servanda* ».

Hisce verbis exprimi solet de stylo Curiae apostolica adprobatio non in forma communi, bene quidem *in forma specifica*, quam nuncupant, quae de more usurpatur in sollemnioribus Sanctae Sedis documentis et actis: uti sunt *Constitutiones apostolicae, motus proprii* etc., quae graviora pertractant negotia: proinde adprobatio ista *veram vim legis* inducit et praescriptionibus statutisque, si quae sint in contrarium vigentia, derogationem infligit.

4. Instructionis prolegomenorum n. 1 impensam curam recolit continenter ab Ecclesia adhibitam in adsignando celebrationi Missae loco honestate ac decore praestante et in arcenda qualibet irreverentia a tam augusto Mysterio.

Procul dubio primis Ecclesiae temporibus, quum publica non exsistebant ecclesiae vel oratoria, Missa ceteraque sacra Mysteria (sacrae functiones omnes, praedicatio verbi Dei, collatio omnium Sacramentorum etc.) etiam *in domibus privatis* celebrabantur:

Apostoli enim ecclesiis, prout postea usuvenit, certe carebant, licet ambigi nequeat etiam apostolico aevo certa et determinata exstitisse loca, ad quae primi christiani sacras divinasque res peracturi conveniebant: quae quidem loca postea *ecclesiae* primum appellata sunt.

Hinc Bened. XIV scribere potuit: « privatorum oratoriorum in dictis domibus (laicorum) usum ab antiquo tempore repetendum esse; cum constet Apostolos sacra Mysteria privatis in domibus celebrasse, eumque morem persecutionum tempore servatum fuisse, quemadmodum Christianus Lupus, in suis notis ad canones Trullanos, apposite animadvertit » [1].

Primum exemplum istius determinati loci divino cultui adsignati nonulli AA. perhibent fuisse *Coenaculum Hierosolymitanum* ipsum, de quo S. Lucas in libro Actorum (I, 13; II, 1). Divus autem Paulus (I Cor., XI, 22) privatas fidelium domus distinguit a loco in quem universitas fidelium (ecclesia) congregabatur. Tradit Card. Baronius Apostolum Petrum celebrasse divina Mysteria in domo Pudentis, romani senatoris; S. Saturninus sub initio saec. IV, in spretum decreti imperatoris Diocletiani, celebravit in domo Octavii.

Illae primae *ecclesiae,* admodum simplices modestaeque, saevientibus persecutionibus in privatis domibus saepe reconditae erant, unde et nomen « *domus ecclesiae* » sunt mutuatae. Historice tamen constat, priusquam persecutiones cessarent, christianos *publicas* quoque habuisse *ecclesias,* dum enim fureret Diocletiani persecutio memoriae traditum est ecclesias christianorum dirutas adustasque fuisse.

Absolutis demum persecutionibus, praesertim Constantini M. opera, ecclesiae aedificatae sunt magnificentia ornatuque eximiae ac Deo consecrata et exempla quoque perhibentur paganorum haereticorumque templorum quae in catholicas ecclesias sunt commutata: immo decursu temporis eo res processerat ut Ecclesia indiscretam quandam zelotypiam arbitriumque multiplicandi ecclesias et oratoria refrenare debuerit [2].

5. Equidem diffitendum non est etiam post exactas persecutiones atque publicas multiplicatas ecclesias divina Mysteria non infrequenter celebrari perrectum esse extra loca sacra: puta in *castris, in domibus privatis, in carceribus, in cubiculis infirmorum, in itineribus, super aras viaticas, sub dio, in tentoriis* etc.,

---

[1] Ep. encycl. *Magno cum,* 2 iun. 1751, § 9.

[2] Wernz-Vidal, *Ius canonicum,* tom. IV, *de rebus,* n. 353; Ferraris, *Biblioth. canonica* etc., vox *ecclesia,* art. VII, p. 244 seq., qui fontes quoque abunde recolunt; *Ephemerides liturgicae,* an. 1896. p. 45.

prout abunde testantur vetera monumenta, et ante Conc. Tridentinum facultas celebrandi in privatis cubiculis pendebat ab arbitrio Episcoporum [3]. Bened. XVI enarrat S. Ambrosium in privata domo nobilis cuiusdam matronae invitatum fuisse ad celebrandum Romae secunda medietate saec. IV [4]. Idemque Pontifex praeterea recolit: « privata oratoria in domibus laicorum subsequentibus etiam saeculis fuisse, cum persecutiones iam cessassent: cum in Sacramentario Gallicano, quod Mabillonius, tom. I Musaei Italici, impressum edidit, *collecta* legatur, quae recitanda erat in Missa, quae celebrabatur *in domo cuiuslibet* » et pro huiusmodi assumpto provocat ad alias probationes, quas in suo tractatu *De sacrificio Missae* sect. I, 10 accurate colligere sategit.

6. Saeculis tamen IV et V ista domestica sacella rarius exstruebantur, sive quia, pace recuperata, Ecclesia ulterius formidare non poterat publici cultus exercitium, sive quia, titulis seu paroeciis constitutis, quilibet sacerdos cuidam ecclesiae erat inscriptus, et, clericis tunc rarefactis, vix inveniebatur qui in privatis domibus Sacrum litaret [5].

Hinc nequit inferri sacras functiones omnino prohibitas esse intra domesticos parietes: quandoque facultas ista dabatur *ob gravem necessitatem* aut *ob extraordinarium spirituale pietatis emolumentum*. Certum est RR. Pontifices, ut plurimum, infirmitatis causa, divina Mysteria celebrasse in domestico sacello Patriarchii, quod incolebant [6].

Temporis processu tum in monasteriis tum in domibus laicorum illustrium aut generis nobilitate aut muneris amplitudine rursus privata oratoria invaluerunt pro Missae celebratione. Patres Conc. Trullensis (can. 31) declararunt neminem posse « sine licentia Episcopi in oratoriis quae sunt intra domos, Sacra facere vel baptizare ».

Unde patet nullimode quemquam potuisse Missam litare in domibus privatis, nisi praehabita licentia Episcopi [7].

7. Quoniam vero *sancta sancte tractanda sunt*, et praesertim tremendum incruenti Sacrificii Mysterium, quod omnis religionis cultu et veneratione peragendum est, in Oecumenicis Conciliis plura edita sunt decreta ad exstirpandos inolitos abusus et praecipue in Tridentino sess. XXII, Decreto 17 sept. 1562, *de observandis et evitandis in celebratione Missae*, praeceptum est locorum Ordi-

---

[3] Gattico, *De usu altaris portatilis opusculum*, a cap. IV ad VIII; Cappello, *Tractatus can. - mor. de Sacramentis*, vol. I, n. 744.

[4] Litt. encycl. *Magno cum*, 2 ian. 1751, § 9.

[5] Gattico, *de oratoriis domesticis*, c. IV, § VII.

[6] Gattico, o. et l. c., § V, VI, VII.

[7] Cfr. *Ephem. liturg.*, an. cit., pag. 466 seq.

nariis, inter alia, ne « patiantur privatis in domibus, *atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria,* ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a saecularibus et regularibus quibuscumque peragi ».

Concilium ideo ita revocavit Episcopis facultatem qua usque ad id tempus fruebantur, demptis paucis casibus, eamque uni Apostolicae Sedi reservavit ac etiam expoliavit nonnullos regulares Ordines privilegio utendi altari portatili ubique, etiam extra ecclesias et oratoria adprobata. Finis vero a Conc. Tridentino intentus fuit removendi periculum ne divina Mysteria sine debita reverentia celebrarentur ac praecavendi nimiam desertionem ecclesiarum.

Bened. XIV, l. c. § 9, animadvertit de tollendis huiusmodi oratoriis privatis in domibus laicorum, pluries cogitatum fuisse, atque memorat assertum Leonis Sapientis, iuxta quod privata oratoria in quibus Missae celebrarentur, suo tempore adeo erant multiplicata ut non solum optimates, sed mediocris etiam conditionis homines in suis domibus haberent.

Exinde vero S. Congregatio ipsius Concilii Trident. exsecutioni et interpretationi praeposita, saepe saepius per opportuna decreta obrepentes abusus eliminavit.

Disciplina a Tridentino Conc. statuta circa oratoria privata et altaria portatilia eadem est quae continetur in cc. 820-823; 1188-1196 Codicis I. C. [8].

8. Nec minori cura Ecclesia iugiter SS. Eucharistiam, qua sacramentum, asservare studuit, Eius securitati, reverentiae adorationique, aptioribus ex tempore propositis mediis, consulendo (cfr. Instr. proleg. n. 3).

Primis christiani aevi temporibus, in quibus fideles aut ad sacram communionem recipiendam simul convenire nequibant et sacras Species publico loco reservari non praestabat, deficiente ecclesiarum competenti provisione ob gentilium persecutiones; aut abditis locis sacra peragebatur Synaxis, ne Eucharistia a paganis irrideretur aut pollueretur (ad rem tunc instituta fuerat *arcani disciplina*), permissum est primaevis christianis ut SS. Species ad proprios lares deferrent et privatim ibi reverenter asservarent, quibus cotidie, prout moris erat, sese reficere valerent ob periculum etiam vitae, quod continuo eis imminebat et ita fortiter supremo certamini pro Christi fide obviam irent. Haec commemorat S. Hieronymus, *Epist.* 50; S. Cyprianus in lib. *de lapsis*, n. 92 et in lib. *de spectaculis;* Tertullianus, lib. *de orat.* sub fine et lib. 2 *ad uxo-*

---

[8] Cfr. Decr. Clementis XI, 15 sept. 1703, *de celebr. in oratoriis privatis;* cfr. et litterae S. C. de Sacramenti ad Ordinarios Italiae, 26 iul. 1924 (A. A. S. a. XVI, p. 370-371).

rem, aliique quorum testimonia recenset Ferraris, o. c. vox *Eucharistia*, n. 44; qui dein prosequitur: « Verum processu temporis, tepescente pristina fidelium caritate, cum hoc venerabile sacramentum quandoque haud debita reverentia acceptum et conservatum fuerit, ideo mos illud in privatis domibus asservandi per quinque fere saecula permissus, abrogatus fuit, et in ecclesiis asservari statutum fuit, ut specialiter in Conc. Caesaraugustano II, can. 3 ibi: *si quis Eucharistiae gratiam acceptam in Ecclesia non consumpserit, anathema sit* et consonat *cap. Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam;* ubi glossa verb. *Eucharistiam*, dist. 2 de consecrat.; et Conc. Toletan. V, Can. 14 et elicitur cap. *Statuimus I, de custodia Eucharistiae*, ubi statutum fuit ut in cunctis ecclesiis Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conservetur, ne possit ad illam temeraria manus extendi ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. Hactenus Em.mus Petra, tom. 3, Comm. in Const. 1 Urbani IV, sect. unica a n. 4 ad 6 ».

Quem deinde morem asservandi Eucharistiam in ecclesiis generali postea totius ecclesiae consuetudine receptum testatur Baronius, ad annum Christi 57, n. 151 (Smalzgrueber, tom. III, p. III, tit. XLIV, n. 3 edit. Romana an. 1844).

Scite tamen animadvertit cl. Cappello o. c. nn. 344, 345, scriptorum auctoritate innixus etiam post Ecclesiae pacem restitutam, consuetudinem asservandi Eucharistiam in domibus privatis non obsolevisse, etsi plura lata fuissent particularia vetita: eamdemque perseverasse praesertim apud monachos et moniales; quem vero usum adhuc viguisse autumat saec. X, saltem alicubi; nec deesse vestigia etiam saeculis posterioribus. Immo antiquitus SS. Eucharistia etiam in itineribus deferebatur, et sacerdotes itinerantes eam e collo gestabant. Qui vero mos deferendi SS. Eucharistiam in itineribus a monachis graecis servatus fuit ad posteriora usque saecula. Etiam Romanus Pontifex, cum extra Urbem longe proficiscebatur Eucharistiam deferre solebat, quae cum magnifico et religioso comitatu ipsum praecedebat [9].

9. Iamdiu tamen usus asservandi SS. Species in privatis domibus aut deferendi in itinere sublatus est, et hodie iure Codicis absque Apostolicae Sedis indulto id fieri prohibetur. Huiusce rei plura exstant documenta: ex gr. Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* », 26 maii 1742, § VI, n. 7; S. C. de Prop. Fide litt. encyc. 25 febr. 1895; Instr. ad Vic. Apost. Indiar. Orient., 8 sept. 1869; Instr. 31 iul. 1902, n. 6. Hinc statutum est in Codice « *Nemini* etc ». (can. 1265 § 3).

---

[9] Cfr. Wernz-Vidal, o. c., n. 447, III, not. 23.

Iure Codicis (cit. can. 1265), dummodo adsit qui eius curam seu custodiam habeat, et regulariter sacerdos semel saltem in hebdomada Missam in sacro loco celebret, SS. Eucharistia asservari *debet* in ecclesia cathedrali, in ecclesia principe Abbatiae vel Praelaturae *nullius*, Vicariatus et Praefecturae Apostolicae, in qualibet ecclesia paroeciali vel quasi-paroeciali et in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum sive virorum sive mulierum; asservari *potest*, de licentia Ordinarii loci, in ecclesia collegiata et in oratorio principali sive publico sive semi-publico tum domus piae aut religiosae, tum collegii ecclesiastici quod a clericis saecularibus vel a religiosis regatur.

Ut in aliis ecclesiis seu oratoriis custodiri possit necessarium est indultum apostolicum; loci Ordinarius hanc licentiam concedere potest tantummodo ecclesiae aut oratorio publico ex iusta causa et per modum actus.

Haec igitur est regula generalis a Codice I. C. inducta: quae tamen saeculis anteactis iam vigebat, uti erui potest e fontibus in calce can. 1265 relatis.

Excipitur proinde ab hac regula facultas custodiendae SS. Eucharistiae in privatis oratoriis, pro quibus requiritur idcirco apostolicum indultum, quod ceterum difficilius conceditur quam pro publicis ecclesiis aut oratoriis, et dummodo speciales concurrant conditiones: loci autem Ordinarius non valet quacumque ex causa et etiam per modum actus licentiam dare SS. Species custodiendi in privatis sacellis.

10. Numerus 4 prolegomenorum Instructionis obligationem memorat adhibendi ministrum in Missa etiam privatim litanda, qui ad altare inserviat atque respondeat sacerdoti Sacrum litanti, quam obligationem ex antiquo more plurium saeculorum decursu invecto allatam esse autumat.

Benedictus XIV [10] affirmat quondam populum stantem sacerdoti celebranti respondere consuevisse, quod invictis argumentis ait probasse Vicecomitem, *de antiquis Missae ritibus*, lib. 1, cap. 14. Cum autem id munus respondendi in Missa privata unius tantum, modo ministri esse coeperit, sine eo ministro, seu, quod idem est, nisi sit qui sacerdoti ministret, non licet Missam celebrari, uti videre est in iure Decretalium, c. 6, X, *de fil. pres. ordinandis vel non*, I, 17 (an. 1177), ubi legitur « *non enim solus presbyter Missarum solemnia, vel alia divina officia potest sine ministri suffragio celebrare* ». Idem Bened. XIV prosequitur memorans Missas solitarias in monasteriis quondam celebrari invaluisse nullo mi-

[10] *De sacrosancto Sacrificio Missae*, lib. I, cap. XI, n. 1, 2, 3 (Opera omnia, tom. VIII, edit. Prati a. MDCCCXLIII).

nistrante, quod vero deinde vetitum fuit, et statutum refert Conc. Moguntini sub Leone III celebratum (an. 888) cap. 43: unde quidam tantopere sunt commoti ut dubitaverint, num si nullus alius praeter ministrum adesset, celebrari Missa posset ut apparet ex c. 61, D. I, qui inscribitur « *nisi duobus praesentibus Presbyter Missam celebrare non praesumat* ». Ast, Cardinalis Bona, *Rer. liturg.* lib. 1, cap. 13, n. 4 et seq., auctoritate fretus, concludit posse quidem presbyterum et solitarios Missam celebrare nullo ministrante, dummodo Apostolicae Sedis indulto id eis concessum sit, quod autumat confirmare Natalem Alexandrum, lib. 2 de Sacram. Euchar., art. 4 in Regula 1, 2 et 3, quae ad praxim pertinent.

Pariter Ferraris refert Conc. Parisiensis VI (an. 829), p. 1, c. 48, qui ita sonat: « visum est, ut deinceps huiusmodi casus inhibeatur, provideatque unusquisque Episcoporum, ne in sua paroecia quisquam prebyterorum Missam solus celebrare praesumat, et, si hanc definitionem superbiendo trasgressus fuerit, canonicae correctioni subiaceat ». Sic enim decreverat Conc. Granatense c. 36, cit. Conc. Moguntinum c. 43, et Leo IV Homil. de cura pastorali [11].

Hisce consonat rubrica Missalis Romani [12]: « possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso si aliquid ex requisitis ad illud desit: ut... *si non adsit clericus in Missa, vel adsit qui deservire non debet, ut mulier...*: quae quidem rubrica haud recentem pertingit aetatem.

Etiam haec disciplina recepta est in Cod. can. 813. Nonnulli casus reapse extraordinarii dumtaxat eximuntur a praescripto huius canonis, quos suo loco expendemus.

11. Prolegomenorum n. 5 aperte loquitur de excessibus abusibusque, quos in postulandis quatuor recolitis indultis iisdemque exercendis nostra aetate contigisse nunnullis locis compertum est.

Talis quidem est lugenda conditarum rerum conditio ut etiam augusta quaeque et sancta hominum malitia aut desidia periculo irreverentiae et dedecoris obnoxia sint, et nonnumquam reapse foedentur nisi continuum exerceatur studium impensaque vigilantia ab iis qui ipsorum disciplinae tuendae sunt constituti.

Quod tamen nimiam ne admirationem inducat, si iam idem accidisse suis et anteactis temporibus ingenue hisce verbis testatur doctissimus Summus Pontifex Lambertinus, l. c., § 27: « non ex eorum numero nos sumus, quibus persuasum sit omnia in nostra tempora inconvenientia incidere, atque ea praesentibus diebus contingere scandala, quae nunquam praeteritis temporibus evenerint.

---

[11] O. c. vox *Missa*, art. IX, n. 5.

[12] Tit. *Ritus servandus in celebr. Missae;* tit. *De defectibus in celebr. Missarum occurrentibus*, c. X, *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, n. 1.

Satis superque pro certo habemus, ea quae hodie fiunt, alio tempore accidisse ».

Porro incommoda memorare praestabit dummodo saltem id unum emolumentum consequi possimus; si nempe exinde animus excitetur ad ea requirenda suppeditandaque media, quae ad abusus difficultatesque deplorata removenda idonea reperiantur. Et revera hic est eximius finis ab Instructione intentus dum integram disciplinam praefatorum indultorum ad examen revocavit, cui efficax stimulum occasionemque praebuerunt Litt. Encyclicae « *Mediator Dei* », Pii PP. XII, Quem Deus diutissime sospitet, quae eucharisticum cultum tutari honoreque debito prosequi natae sunt.

Enucleatio Instructionis, quam infra tradere nobis proponimus, quatuor constabit articulis iuxta divisionem ipsi inditam, singularum facultatum disciplinam respicientem.

CAESAR ZERBA
Subsecretarius S. C. de Sacramentis

(*continuabitur*)

COMMISSIO VIGILANTIAE SUPER TRIBUNALIA RELATE AD MATRIMONIALES CAUSAS

OMNIBUS LOCORUM ORDINARIIS ET IUDICIBUS TRIBUNALIUM MATRIMONIALIUM

Una cum statisticis modulis circa matrimoniales causas praecedenti anno pertractatas, a singulis catholici orbis tribunalibus, prouti de more, Sacrae huic Congregationi exemplaria quaedam sententiarum latarum et animadversionum vinculi defensorum missa quoque sunt.

Haec exemplaria, cum diligenti subiecta fuerint studio Consultorum peculiaris Commissionis Vigilantiae super tribunalia ecclesiastica relate ad processus matrimoniales, eadem Commissio sequentia animadvertere in genere rata est quae infra recensentur, ut prae oculis habeantur ab Ordinariis et a iudicibus ecclesiasticis, quo suo arduo iudicandi muneri perfectius in dies operam navare valeant.

1. Neminem quidem fugit peculiari difficultate decisiones causarum formalium de nullitate matrimonii scatere, circa quas Instructio S. huius Congr. 15 Augusti 1936, art. 21 (*A. A. S.*, vol. XXXIII, 313) habet: « Attenta harum causarum gravitate necnon difficultate, tum quoad leges procedurales servandas, tum quoad intrinsecum causae meritum, Episcoporum est, *graviter onerata eorum conscientia,* caute et diligenter seligere sacerdotes, quorum prudentia et probitas sit omni exceptione maior, quique laurea vel saltem licentia in iure canonico sint praediti, sin minus scientia et experientia iuridica *vere* polleant ».

2. Causae enim formali processu definiendae, non sunt argumentis evidentibus nullique contradictioni obnoxiis praeditae, quia tunc vel procedura casus excepti (cfr. can. 1990-1992 et Comm. ad Cod. Auth. Interpr. d. 6 decembris 1943, *A. A. S.*, vol. XXXVI, 94) adhibetur; vel res defertur pro decisione ad S. hanc Congregationem ad normam can. 249 § 3. Magna proinde requiritur in iudicibus prudentia et acumen, ne, ex una, « tanti Sacramenti religio » in discrimen immerito vocetur; neve, ex altera, iustae postulationes fidelium pro nullitate sui matrimonii declaranda, inepte reiciantur.

3. Quantum ex textu sententiarum deducere fas est, sequentia potissime notanda sunt:

a) In stadio instructorio processus quandoque iudex et defensor vinculi fere inertes manent, eos nempe tantum testes excutiunt a parte actrice (saepe vero a partium patronis) inductos, qui utinam testes sint ab omni suggestione vel instructione circa responsiones dandas immunes!

Expedit e contra, imo saepe necessarium est, ut iudex (passim vinculi defensore instante) testes ex officio, qui extra omnem sint suspicionem, inducat; postquam defensor ipse per se vel per alios accuratas indagines, in loco ubi coniuges sunt bene noti et ex personis ad veritatem factorum absque ira et studio stabiliendam idoneis, peregerit.

Si enim vinculi adsertor passive se habet, evenire poterit ut facile iudex decipiatur a partibus quae abripiuntur « desiderio nuptias dissolvendi, quum matrimoniale consortium ipsis non eam attulerit felicitatem et pacem, quam, sensibus nimio indulgentes, sibi spoponderant » (*A. A. S.*, vol. XXII, p. 168).

Ita enim « facilis aperitur aditus fraudibus et improbitati,

tum coniugum adversus sanctitatem et contra unitatem matrimonii christiani coniurantium, tum etiam eorum qui lucrum tantum inhiantes, ipsos coniuges edocent de modo quo causam instaurare debent, atque *de exitu causae solliciti non de veritate factorum,* testes comparant et instruunt, ut ea deponant et confirment quae optatis conspirent » (ibidem).

b) Circa stadium vero decisorium processus, haec visa sunt animadvertenda:

Cum processus matrimoniales quotidie multiplicentur, et nonnullae factispecies simillimae appareant, sententiae sensim sine sensu tendunt ad aliqualem uniformitatem vel ad authomaticas repetitiones, tum in parte iuris tum, quod magis dolendum, in applicatione iuris ad factum, in qua maximus iudicum labor versari debet.

Sententias proinde perscribendo, in merum formalismum quandoque iudices dilabi facile possunt; et non raro accidit ut, sub specie sollemnis et diuturnae procedurae, totus processus substantialiter reducatur ad schematicas formulas, quae vel a partis patrono parantur et afferuntur iudicibus, vel, quod peius, a iudice fere authomatice desumuntur a probationibus allatis.

4. Non est hic immorandum circa modum, utique reprobandum, agendi ex parte patronorum si, malo fato, nullo habito ad veritatem respectu, testes edoceant et partes; quaestiones suggestivas proponant vel actorum supplementa postulent, quae fere inadvertenter a vinculi defensore et a iudicibus absque suspicione admittuntur; sed potius insistendum est in modo agendi quorundam iudicum qui in probationibus perpendendis non uti veri iudices se gerunt, sed potius uti simplices compilatores, qui ad solam formam verborum, non autem ad criticam rationem spectantes, non cogitate sed sine ratiocinationibus, congerunt excerpta ex depositionibus vel peritiis, ut statim concludant haberi in casu evidentes concordesque attestationes pro nullitate matrimonii constabilienda.

5. Peritias quod attinet, prae oculis habeatur art. 154 Instr. « Provida » (*A. A. S.*, vol. XXVIII, 313 ss.) § 1: « Tribunal non tenetur sequi peritorum iudicium, etsi eorum conclusiones sint concordes, sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendat » (cfr. can. 1804 § 1).

§ 2. « Tribunal debet in rationibus decidendis exprimere quibus motum argumentis peritorum conclusiones vel admiserit vel reiecerit » (cfr. can. 1804 § 2).

6. Non desunt insuper iudices qui passim et sine delectu vel exceptione nulloque adhibito iudicio, sed expedite prorsus, quoslibet testes, eos fidedignos quasi a priori praesumentes, admittunt: qui satis esse rentur responsa quaesitis suggestivis reddita; non animadvertentes num testis, vel bona fide, aliquid ex nihilo creet, vel exaggeret saltem quaedam verba, quasdam rationes; quasi plus sciat quam partes ipsae, vel transferat ad tempus praenuptiale quae econtra vidit, audivit, cogitavit postquam coniugium infelicem sortitum est exitum.

7. Ita ex. gr. facili negotio obtinetur quandoque declaratio nullitatis matrimonii eo quod unum e matrimonii bonis exclusum fuisset, dum revera, morum levitate in dies crescente et theoriis de libera unione late serpentibus, difficilior evadere deberet probatio *positivi actus voluntatis*, cum frequentior praesumi debeat simplex error mentis in nupturiente qui non nimis de iuribus et officiis matrimonii curabat, praesertim si in pervigilio nuptiarum, a parocho rogatus, se bona matrimonii excludere velle iureiurando negavit (Cfr. Instruct. « *Sacrosanctum* » 29 Iunii 1941, All. I. *A. A. S.*, vol. XXXIII, 297 ss.).

8. Ordinariorum attentio revocanda videtur praesertim super tria sequentia puncta:

a) Ordinariis gravissima incumbit obligatio non admittendi ad patrocinium exercendum coram suo tribunali de cuius actione coram Deo respondere debent, nonnisi personas omni exceptione mariores. Ordinariis ius est (et quandoque obligatio) facultatem patrocinii exercendi patrono revocare; idque administrativa provisione, sine onere rationes revocationis pandendi nisi huic S. Congregationi.

Ad vitandas contestationes, expedit ut de potestate revocandi patrocinium, sermo expresse fiat in prima patroni admissione.

b) Selectio idoneorum iudicum est elementum fundamentale (uti constat ex art. 21 praefatae Instructionis (Provida ») ut recta iustitiae administratio obtineatur. Iudex enim expertus et activus, qui nempe studio veritatis et iustitiae tantum movetur, haud facile decipietur a partium artificiis et figmen-

tis; veritatem deteget apte probationes librando, ex officio testes inducendo, et ita porro.

Tales quidem iudices necnon vinculi defensores suis arduis muneribus idonei, peculiari cura et studio sunt efformandi.

Ad rem recenter ita dignatus est declarare Ss.mus D. N. Pius Papa XII in Allocutione ad Tribunal S. Romanae Rotae (*A. A. S.*, vol. XXXVI, pp. 281-294):

« Iudex... est quasi iustitia vivens; illius labor culmen habet in proferenda sententia, qua iuridice stabilitur et statuitur veritas eademque valorem accipit legalem, tum quoad ea quae attinent ad factum diiudicandum, tum quoad ea, quae spectant ad iuris applicationem in casu. Iamvero ad talem dilucidationem et tale servitium veritatis ordinata est tamquam ad suum finem tota causae actio. Quare iudex in hac obiectiva ordinatione in finem, invenit normam quoque securam, qua dirigantur omnes ipsius indagines, iudicia, praescriptiones, prohibitiones, quas evolutio causae secum portat. Apparet igitur, obligationem iuridico-moralem cui iudex subiectus est, non esse nisi quam iam ante commemoravimus profluentem ex iure divino, inquirendi videlicet et determinandi secundum rei veritatem, an vinculum, quod signis externis erat constrictum, revera existat vel an adsint praesupposita necessaria vinculi solvendi, et stabilita veritate, proferendi sententiam veritati conformem. Hisce continetur summa gravitas et gravamen conscientiae ipsius iudicis in causa dirigenda et concludenda ».

c) Quando vero dioecesis adiuncta id postulent, Ordinarii ne cunctentur se gerere ad normam litterarum Sacrae huius Congregationis diei 1 mensis Iulii 1932, n. III (*A. A. S.*, vol. XXIV, p. 272):

« Quod si fieri contingat ut, spectata parvitate dioecesis et praesertim inopia sacerdotum, aliquis Exc.mus Episcopus locive Ordinarius prohibeatur quominus ecclesiasticum tribunal constituat, quod suo muneri congruenter, uti expostulat peculiaris causarum matrimonialium gravitas et *tanti Sacramenti religio*, perfungi valeat, ipse, prudenter secum pensato harum rerum discrimine maximoque momento, minime vereatur, etiam in levamen conscientiae suae, huiusmodi loci vel personarum angustiam ad hanc Sacram Congregationem significare, ut ipsa, huiusmodi necessitati, saltem ad tempus, prospicere possit, competentiam tribunalis deferendo aliae Curiae Eccle-

siasticae Provinciae vel Regionis, quae tali oneri sustinendo ob peritiores officiales ceterosque administros aptior evadat ».

9. Pro matrimoniis post latam Instructionem Sacrae huius Congregationis « Sacrosanctum » contractis, iudex debet petere a paroecia celebrationis matrimonii per Curiam Dioecesanam « processiculum depositionum coniugum ante nuptias » et de ipsis depositionibus iuratis iustam rationem tenebit, praesertim quando coniux vel coniuges probare contendunt se *libere et scienter* exclusisse matrimonii bona, quamvis e contra iureiurando in processiculo declaraverint se ad matrimonium absque ulla exclusione accessuros esse. Consequitur quod iudex, nonnisi evincentibus argumentis victus, admittere poterit sponsum vel sponsos in emittendo praedicto iureiurando vel ignorasse quid facerent, vel peierasse.

10. Defensoribus vinculi peculiariter commendantur sequentia:

Quandoque evenire potest, uti supra innuimus, quod vinculi defensores mere inertes se habeant in stadio instructorio processus. Nil enim agunt, nec testes ex officio inducunt, non circa veritatem factorum apud personas credibiles interesse in causa non habentes notitias exquirunt: passim articulos pro examine partium et testium a patronis propositos, etsi suggestivi sint, approbant. Demum in stadio decisorio causae, artificiosas tantum animadversiones scribunt, nullum aut fere nullum auxilium iudici pro veritate factorum detegenda, praestando.

11. Ad rem Allocutio citata Summi Pontificis gloriose regnantis vinculi defensores monet: « Sicut non congrueret gravitati officii et exsecutioni sollerti ac fideli muneris ipsius si acquiesceret breviori inspectioni actorum et quibusdam observationibus superficialibus; sic etiam non expedit ut huiusmodi officium committatur iis quibus desunt experientia vitae et iudicii maturitas. Ab hac regula observanda non detrahit quod animadversiones defensoris vinculi subiiciantur examini iudicum. Nam iudicibus labor accuratus defensoris vinculi esse debet adiutorium et complementum laboris proprii; nec praetendi potest iudicibus semper reficiendum esse totum opus defensoris, ut fidere possint illius expositionibus » (*A. A. S.*, vol. XXXIV, p. 338 ss.).

E contra si vinculi adsertor recte, uti par est, suum adim-

pleverit munus ad matrimonium tutandum, non modo « tanti Sacramenti religio » sarta tecta servabitur, sed ex aequa disceptatione inter partem actricem et vinculi defensorem veritas nativa factorum facilius profluet, qui est finis ultimus et praecipuus omnium iudiciorum.

12. Demum omnibus tribunalibus commendandum est ut sine excessivis moris sed naviter adlaborent, terminos temporis a can. 1620 pro singulis instantiis concessos, quantum saltem ab ipsis dependet, numquam superantes; incidentales causas rapide resolventes, probationes ad moras iudicio nectendas postulatas reicientes, terminos peremptorios statuendo, et ita porro.

13. Cum iudices et administri tribunalis alacrem iuridicundo operam conferre non valeant, nisi sufficienti sustentatione sint provisi, curent Ordinarii ut Tribunal necessariis subsidiis temporalibus non destituatur, tum ope taxarum a litigantibus idoneis solvendarum, tum aliis quoque, pro locorum et temporum adiunctis, opportunis provisionibus.

14. Sacra haec Congregatio, dum quae praecedunt Ordinariorum zelo commendat, ominatur ut eorum tribunalia matrimonialia recte, ut decet, suo respondeant muneri, « attente perspectis huius magni negotii materia atque consectariis maximi momenti inde promanantibus » (*A. A. S.*, vol. XXIV, p. 274).

Ex Aedibus Sacrae Congregationis, die 15 Augusti 1949.

+ B. Card. Aloisi-Masella, Ep. Praen., *Pro-Praefectus*

L. + S. F. Bracci, *Secretarius.*

In proximo fasc. Rev.mus D. V. Bartoccetti, Subsecr. S. C. De Sacramentis, adnotationes in relatam Instructionem scribet.

DECRETUM

Miserentissimi omnipotentis Dei benignitatem deprecaturus super universum catholicum gregem Sibi commissum, ineunte piaculari Anno, ad optatissimos uberres colligendos fructus verae poenitentiae emendationis vitae, virtutum omnium christianarum sanctitudinisque incrementi, quorum causa sollemne indictum est generale maximumque Iubilaeum impendenti anno MCML reparatae salutis in hac alma Urbe celebrandum, Sanctissimus Dominus Noster PIUS Divina Providentia PAPA XII, in Audentia habita ab infrascripto Cardinali Pro-Praefecto die 12 labentis mensis et anni, RR.mis locorum Ordinariis facultatem indulgere dignatus est ut in unaquaque suae dioecesis ecclesia cathedrali, collegiali, conventuali, necnon in potioribus ecclesiis aut oratoriis, etiam sodalibus religiosis concreditis, ad quae populus frequentior accedere solet, exceptis domesticis sacellis, media ipsa nocte, quae intercedit inter finem anni MCMXLIX et exordium Anni Sacri MCML, *una sancta Missa* etiam sollemnis litari possit, cum facultate pro fidelibus in eadem Missa aut statim post eam expletam sacra Synaxi sese reficiendi, servato ieiunio ab ipsa media nocte et dummodo sacrae supplicationes Deo Beatissimaeque eius Genitrici impendantur iuxta Sanctitatis Suae piissima vota et placita per spatium saltem duarum horarum, in hoc computato tempore ad Missam celebrandam collato, servatis in reliquo de iure servandis cautoque ut quodlibet amoveatur irreverentiae ac profanationis periculum.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 15 mensis decembris anno 1949.

+ B. Card. ALOISI-MASELLA, Ep. Praenestinus, *Pro-Praefectus.*

F. BRACCI, *a Secretis.*

SACRA CONGREGATIO CONCILII

DECRETUM

CIRCA FACULTATES DE MISSIS MODERANDIS.

Cum extraordinaria rerum adiuncta cessaverint ob quae praescriptis Codicis juris canonici interdum fuit derogatum, Sacra Congregatio Concilii, post collata consilia cum SS. Congregationibus de Religiosis et de Propaganda Fide, speciali SS.mi Domini Nostri Pii Divina Providentia PP. XII mandato obsequens, decretum diei 1 augusti 1941, n. 3165/41 confirmat, simul declarans facultates omnes de Missis moderandis-praeter sic dictas « quinquennales » Ordinariis datas-a quacumque Auctoritate, quovis modo, etiam « vivae vocis Oraculo » et ad quodvis tempus concessas sive Ordinariis quibuslibet, sive Superioribus Religiosis sive quibusvis aliis personis physicis vel moralibus, tamquam revocatas ac nullius roboris, abeuunte anno 1949 habendas esse.

Quare posthac ad normam Codicis iuris canonici (cfr. c. 1517 § 1 et 1551 § 1) in singulis casibus ad Sanctam Sedem recurrendum erit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 30 Iunii 1949.

(*A. A. S.*, vol. XXXXI p. 374)

ADNOTATIONES

LEGES: cc. 1517 § 1, 1551 § 1 CIC et fontes ab E.mo Card. Gasparri in calce ibidem citati et in eiusdem opere « Codicis Iuris Canonici Fontes » relati suis in locis. — Decretum S. C. Concilii (reservatum Ordinariis omnibus): *De Missarum reductione ac satisfactione* diei 1 aug. 1941, n. 3165/41. « *Norme da osservarsi per la riduzione delle Messe* » (ad usum SS. Congregationum) S. C. Concilii diei 1 aug. 1941, n. 3165/41.

AUCTORES: *Benedictus XIV, De Synodo dioecesana*, lib. XIII, cap. ult- *De facultate imminuendi seu reducendi legata Missarum, quam saepe Epi-*

scopi in relatione status suarum Ecclesiarum sibi concedi postulant, Romae, 1767. B. Ojetti. *Synopsis rerum moralium et juris pontificii...*, sub voce *Reductio*, Romae, 1912. A Lucidi *De visitatione SS. Liminum...* (Cfr. Ind. gener. in fine vol. III sub vocibus: *Missa-Legatum*). Romae 1866. — Wernz-Vidal. *Jus canonicum, De rebus*, tom. IV, vol. II pag. 272 ss. Romae, 1935 et AA. ibi cit.-Vide etiam tractatus de SS. Eucharistia AA. Gasparri, Many, Van Hove etc. suis in locis. — E. Romita. *De Missarum satisfactione et reductione*. Romae 1946.

Summarium: 1. Ratio decreti. — 2. Excursus historicus. — 3. Subiecta decreti. — 4. Obiectum pontificiae reservationis. — 5. Competentia. — 6. De facultatibus quinquennalibus.

1. Decreto S. C. Concilii diei 1 augusti 1941 n. 3165/41 S. Sedes praescripsit ut, infra annum a die editi citati decreti, singuli Ordinarii sive locorum sive religiosorum etiam exemptorum (identidem a fortiori, per proprium Ordinarium, aliae personae omnes sive physicae sive morales, qui iure vel privilegio reducendi Missas aut earum eleemosynas fruebantur, S. Congregationi, a qua quisque hac in re dependet, facultates omnes denunciarent, quae quinquennium excederent vel quae datae fuerint nullo praefinito tempore vel etiam vivae vocis oraculo, non obstantibus quibusvis etiam speciali mentione dignis, addita comminatione, qua, eodem anno elapso, huiusmodi facultates, quae non fuerint ita denunciatae, eo ipso uti abrogatae et nullius momenti habendae essent.

Huiusmodi Decretum, cum Ordinariis omnibus reservatum esset, in Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali editum non fuit, sed alius promulgandi modus fuit praescriptus (cfr. c. 9), np. per notificationem personalem singulis Ordinariis directe faciendam a SS. Congregationibus iuxta uniuscuiusque hac in re competentiam.

Quod tamen, praesertim propter belli circumstantias toto orbe terrarum tunc temporis dire saevientis, cum fieri non semper potuisset, quibusdam in casibus praedictum Decretum absque sufficienti promulgatione mansit.

Nunc vero, cum haec extraordinaria rerum adiuncta cessaverint, S. Sedes, quae maximam semper adhibuit sollicitudinem in piarum fidelium voluntatum exsequutione ac praecipue in Missarum satisfactione tutanda, quarum proinde reductionem exclusive ab antiquo sibi reservavit, praedictum Decretum iterum confirmare censuit illud promulgans modo ordinario, sc. per editionem in Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali, ut non solum omnibus Ordinariis, sed etiam personis physicis vel moralibus in-

notescat, quae facultatem quomodocumque habuerant reducendi Missas quoad numerum vel eleemosynam.

2. Decretum, de quo agimus, in cann. 1517, 1551 CIC nititur, vi quorum quaevis immutatio circa Missarum onera Sedi Apostolicae unice competit. Huiusmodi reservatio iam ab antiquissimis temporibus viguit [1].

In Concilio Tridentino [2] enim facultas data fuit « Episcopis ut, in Synodo dioecesana, itemque Abbatibus et Generalibus Ordinum, ut in suis Capitulis generalibus, re diligenter perspecta, possent pro sua conscientia in praedictis Ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa haec quidquid magis ad Dei honorem et cultum atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire: ita tamen ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios usus reliquerint ».

Quae tamen facultas intelligenda erat ad primum post Concilium Tridentinum synodum seu capitulum limitata, et quidem ad Missarum onera ante idem Concilium piis fundationibus iam imposita [3]. Post reservationem ab Urbano VIII et ab Innocentio XII in suis decretis [4] expresse confirmatam, quaedam facultates tamen circa Missarum onera concessae fuerunt prius ab Innocentio XII pro quibusdam Superioribus Generalibus, postea a Benedicto XIII pro illis Ordinariis, qui Concilio Romano a. 1725 celebrato interfuerunt per se vel per procuratores [5].

Insuper nonulla alia indulta ac privilegia a SS. Pontificibus decursu temporis Praelatis inferioribus data fuerunt [6].

Eitam post Romanae Curiae reformationem a Pio X peractam const. *Sapienti Consilio* d. 29 iunii 1908 necnon CIC promulgationem, Nuntiis, Intenuntiis, Delegatis Apostolicis, Ordinariis Italiae aliarumque Nationum quaedam facultates generales ad quinquennium conceduntur, quae inde denominantur *Facultates quinquennales*.

---

[1] Cfr. Bened. XIV, *De Synodo diocesana*, lib. XIII, cap. ultimum, nn. 17-18.

[2] Sess. XXV, cap. IV, *de Reform.*

[3] SCC oct. 1597 et d. 15 dec. 1629 statuit hoc decretum a Secretario dandum esse omnibus petentibus absque eo quod amplius verbum fiat in Congregatione: cfr. *Lib. Decretorum* vol. XIV pag. 206. Bened. XIV o. c. l. c. cap. XXV. - Schulte et Richter. *Canones et Decreta Conc. Trid.* Lipsiae 1853. Pag. 139 n. 78.

[4] Cfr. *Cum saepe contingat* diei 21 iunii 1625 (Gasparri, *Fontes* V, pag. 235-243); *Cum autem semper* diei 23 dec. 1697 (Gasparri, o. c. I, pag. 509-518).

[5] Cfr. Conc. Romanum a. 1725, Tit. XV, cap. 8.

[6] Cfr. Benedictus XIV o. c. lib. V, cap. X, n. 3; lib. XIII cap. ult., n. 21 Huiusmodi indultorum formulam videsis apud Lucidi. *De Visit. SS. Liminum*, vol. II, pag. 428, nn. 83-84.

Praterea, tempore belli novissimi, attenta impossibilitate vel saltem magna difficultate recurrendi ad S. Sedem, Nuntiis ac Metropolitis speciales facultates, etiam quoad Missarum reductionem ac huiusmodi indultorum renovationem, concessae fuerunt.

Nunc vero praesenti Decreto omnes hae facultates, cum exceptionibus tamen de quibus infra, tamquam revocatae ac nullius roboris, abeunte anno 1949, habendae sunt.

3. Pontificia reservatio circa onerum Missarum immutationem tenet omnes in Ecclesia subditos, sive saeculares sint, sive religiosi, tum latini quum orientales necnon clerici et fideles terrae Missionum.

Decretum enim, de quo agimus, quamvis a S. C. Concilii et Orientali editum [7], cum tamen de speciali mandato SS.mi D.ni Nostri Pii Pp. XII promulgatum fuerit post collata consilia cum SS. Congr. de Religiosis et de Prop. Fide, ad totam Ecclesiam extenditur, Latinam sc. et Orientalem, atque omnes prorsus personas physicas vel morales adstringit.

4. Circa huiusmodi pontificiae reservationis extensionem plures moventur ab AA. quaestiones, quarum tamen resolutiones, cum a vigenti praxi Romanae Curiae aliquando discrepent, ad trutinam sunt revocandae.

Iuxta responsum Pont. Commissionis ad CIC. canones authentice interpretandos d. 14 iulii 1922 [8] Ordinarius ob imminutos re-

---

[7] Cfr. AAS 1949 (XLI) n. 9 pag. 373:

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

DECRETUM

CIRCA FACULTATES DE MISSIS MODERANDIS

Cum extraordinaria rerum adiuncta cessaverint ob quae praescriptis de Missarum moderatione interdum fuit derogatum, Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali, speciali Ss.mi Domini Nostri Pii, Divina Providentia Pp. XII, mandato obsequens, omnibus propriae iurisdictioni obnoxiis declarat facultates omnes de Missis moderandis, a quacumque Auctoritate, quovis modo, etiam vivae vocis Oraculo, et ad quodcumque tempus concessas sive Ordinariis quibuscumque sive Superioribus Religiosis sive quibusvis aliis personis physicis vel moralibus, abeunte a. 1949, tamquam revocatas ac nullius roboris habendas esse.

Quare posthac in singulis casibus ad Sanctam Sedem recurrendum erit.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die XXX m. Iunii a. MCMXIL.

✠ E. Card. Tisserant, Ep. Portuensis et S. Rufinae, a Secretis

L. ✠ S.

✠ V. Valeri, Archiep. tit. Ephesinus, Adssesor

[8] Cfr. ASS 1922, pag. 529.

ditus onera Missarum reducere valet, si id in tabulis fundationum expresse caveatur, ad normam cc. 1517, 1551. Etenim hoc in casu fundator ipse renuntiavit suppletioni, quam S. Pontifex ex thesauro Ecclesiae, cuius Ipse est dispensator, peragit in reductionibus concedendis; atque Ordinario committit, ut iuxta redituum variationes oneribus praedictis satisfiat.

Praeterea, si ecclesia quaedam in usum profanum redigi contingat, Ordinarius potest ac debet onera cum reditibus in aliam ecclesiam transferre, ad normam c. 1187.

Insuper, nonobstante revocatione, quam statuit cit. Decretum, integra manet Ordinariorum facultas exsequendi indulta particularia circa Missarum reductionem, quae S. Sedes concessit. Etenim revocatio respicit ipsam facultatem Missas reducendi Ordinariis aliisque quomodocumque concessam. At reductiones Missarum a S. Sede in forma commissoria concessae per particularia indulta, quorum exsequutionem ipsa S. Sedes Ordinariis communiter committit, minime sunt revocatae.

Praeter hos casus autem non licet pontificiam reservationem privatis lucubrationibus enervare.

a) Ita, cum c. 1517 § 1 dicat « *Ultimarum* voluntatum etc. quidam [9] arguunt, si de pia *viventis* voluntate agatur, hanc Ordinarium commutare posse, accedente consensu oblatoris, qui iuri suo renuntiare potest. Quod profecto sustinetur, si agitur de voluntate in forma veri contractus expressa [10], vel de cappellania

---

[9] Vermeersch-Creusen, *Epitome j. c.*[4] pag. 518 ad IV.

[10] Ita, e. g. « publicis tabulis diei 8 novembris 1643 monasterium S. Clarae civitatis Sorae cessit Beneficiatis cathedralis eiusdem civitatis ecclesiae caput ducat. 125,50 in tot collocandum censibus ad rationem 10 ducat, pro quolibet centenario et anno, ea lege ut iidem beneficiati celebrarent per turnum in monasterii ecclesia unam missam lectam singulis diebus festis aliisque quinque per annum festivitatibus eiusdem monasteri. Cfr. SCC in *Sorana. Reductionis Missarum* 23 maj 1857 : apud Lingen et Reuss *Causae selectae* etc.. pag. 335 ss. Hisce in adiunctis, aliter ac in piis fundationibus, non agitur, etiam pro parte tantum, de liberalitate ac deest omnino animus donandi : habetur vero contractus onerosus ex utraque parte.

Quaeri posset nunc quaenam sit distinctio in casu inter obligationem ex contractu et obligationem ex pia fundatione, si etiam haec ex ipso legis praescripto naturam induat contractus. (c. 1544 § 2). Revera lex nec voluntatem eius, qui libere ac liberaliter bona sua ad pias causas reliquerit, neque negotii naturam, cui liberalitas insit, mutare potest. Praescriptum ideo c. 1544 § 2 potius quam juridica negotii definitio (quam ceterum lesgislator vitari solet utpote summe periculosam et in casu aberrantem, cum agatur de negotio, cuius elementum praevalens est ipsa contrahentium voluntas), intelligenda nobis videtur uti intercessio cumulativa cum persona morali ecclesiastica onerata in forma fideiussionis, qua Suprema Ecclesiae Auctoritas pio fundatori exsequutionem obligationis praestat in perpetuum vel saltem ad diuturnum tempus, juxta tenorem ipsius piae fundationis (c. 1544 § 1).

Hinc, in obligatione ex contractu, ipsa persona moralis ecclesiastica onerata

laicali, cuius bona in patrimonio fundatoris eiusque heredum manent [11]. At, si fiat donatio et bona ab Ecclesiastica Auctoritate legitime acceptentur ita ut ecclesiastica fiant, pius fundator ius in eadem bona probe amisit nec immutationem in piam fundationem suo lubitu introducere valet [12].

Quin immo Ordinarius, ne in ipso quidem limine fundationis, antequam fundationem acceptet, onera fundationis reducere valet[13].

b) Item, cum cit. c. 1517 § 2 ab Ordinariorum potestate Missarum reductionem tantum excipiat, quin commutationem moderationemque nominet (de quibus in § 1 eiusdem canonis), quidam concludunt Ordinarium, in casu impossibilitatis integrae satisfactionis, immutationes inducere posse circa modum, tempus et locum, si Missarum numerus non nominatur [14].

Quod quidem sustinetur, si Ordinarius facultatibus quinquennalibus, uti solet, polleat; et quidem cum limitationibus in dictis facultatibus statutis, ut suo loco dicemus. At Ordinarius iure proprio hanc facultatem non habet: quam si haberet, S. Sedes iterum explicite in facultatibus quinquennalibus certe non concederet. Revera in § 2 can. 1517 reductio non designatur ad exclusionem moderationis et commutationis, sed potius uti species magis conspicua cuiuscumque ultimarum voluntatum immutationis, sub qua comprehenditur tum moderatio quum commutatio, de quibus in § 1 eiusdem can. 1517 [15].

---

obiectum obligationis dare tenetur personae physicae vel morali, cui ex contractu debetur, nisi judex contractum rescindat vel ad aequitatem reducat. In piis fundationibus autem, si persona moralis ecclesiastica onerata susceptae obligationi - cum vel sine culpa - haud satisfaciat, ipsa Suprema Ecclesiae Auctoritas ex data fideiussione oblagationis exsequutionem, re administrative cognita, ex Suo thesauro adimplebit.

[11] Cfr. S. R. Rotam, 26 febr. 1921 (AAS, XIII pag. 505).

[12] Cfr. ex analogia c. 1536 § 4 et decis. SCC d. 12 iulii 1919 (AAS 1919 pag. 415-419) et 14 ian. 1922 (AAS 1922, pag. 160 s, ad 2m).

[13] SCC in Lucana, *Onerum Missarum* 20 iunii 1628 et in Aprutina *Cappellaniarum* 2 maii 1705: Cfr. Pallottini o. c. sub v. *Missa* § XI, pag. 64 nn. 7-8.

[14] Ita Coronata, *Praelectiones j. c.* II, pag. 470, litt d); Vermeersch-Creusen *Epitome j. c.*[4], pag. 519; aliique.

[15] Triplex habetur (iuxta terminologiam in. c. 1517 § 1 adhibitam) innovatio circa Missarum satisfactionem.

Moderatio tuuc habetur, quum ex generica vel non satis perspicua fidelium dispositione fit magis specifica eorundem voluntatis determinatio.

Ita, e. g., si satis clare non constet qua ratione, in fundationibus mixtis (Missarum, cultus vel beneficentiae) fructus sint inter diversos fines erogandos; vel etiam, si et quatenus ens oneratum sit ecclesia vel beneficium; utrum onus personale sit vel reale etc.

Haud raro enim piae fidelium voluntates interpretatione indigent circa ipsam obligationis exsistentiam, extensionem, subiectum etc.

Differt tamen ab interpretatione mera declaratio, qua definitur Missarum onus

Si tamen agitur de mera piae fundationis *declaratione* (qua, e. g., definiatur onus Missarum vel nulliter impositum vel resolutum irritumque factum esse [16] etc. huiusmodi), id certe Ordinario competit, quatenus ipse omnium piarum voluntatum exsecutor est (c. 1515 § 1).

At si de vera *interpretatione* agitur (e. g., an exsistat obligatio Missarum, de obligationis subiecto vel obiecto etc. huiusmodi) recurrendum ad S. Sedem, cuius erit moderationem vel commutationem concedere [17].

c) Principiis mere civilisticis ducti, quibus obligationis exstinctio regitur, quidam AA. affirmant obligationem ipso facto cessare absque ulla S. Sedis declaratione, si bona ex toto defecerint [18]; imo nec postea supplendum, si reditus renascantur abundatiores [19]. At contra stant can. 829 (quoad Missas manuales et ad instar manualium) et can. 1517 (quoad Missas fundatas), quibus omnis immutatio circa Missarum onera S. Sedi explicite et

---

vel nulliter impositum vel resolutum irritumque factum vel denique satis impletum fuisse. (Cfr. Bened. XIV. *De Syn. dioec.* lib. XIII cap. ult. n. 9).

Commutatio autem habetur, si Missarum onus circa accessoria et secundaria mutari contingit.

Ita, e. g., si Missa cantata, tot adsistentibus ministris vel coram SS.mo Sacramento aut praemissa quarundam precum recitatione aliisque huiusmodi celebranda, in Missam lectam commutetur. Item, si Missa in tali ecclesia vel sacello aut tali die et hora celebranda, ubique et quovis tempore celebrari permittatur.

Itemque, si quaedam preces vel functiones (obligationi principali Missarum applicandarum seu celebrandarum accessoriae) in alias preces vel functiones commutentur.

Reductio seu oneris Missarum imminutio: quae quidem futurum per se respicit et dupliciter distinguitur:

1) quoad eleemosynam; si indulgeatur ut quis excessum supra taxam dioecesanam in pia opera erogare valeat;

2) quoad numerum, si Missarum numerus, iusta ac necessaria interveniente causa, imminuatur.

Ita, ex imminutis bonorum legatorum reditibus, et onus reale Missarum minui decet.

Quod si bona omnino destructa fuerint, onus fuisse exstinctum atque absolutionem seu exonerationem a competenti Auctoritate declarare licebit.

Item, si beneficiatus, gravibus obrutus difficultatibus, partialem imploret dispensationem a Missae Conventualis vel pro populo obligatione.

Quoad praeteritum autem, si quis Missarum applicationem omiserit nec possit integre satisfacere, impetrare poterit vel totalem condonationem vel partialem sanationem, quibusdam tamen Missis pro poenientia celebratis vel soluta mulcta quadam pecuniaria (compositio).

[16] Cfr. Bened. XIV o. c. lib XIII, cap. ult. n. 9.

[17] Ita, ex praxi constanti SCC: cfr. plurimos huiusmodi casus apud Lingen et Ruess o. c. pag. 273 ss.

[18] Ita Coronata o. c. pag. 502, litt e; aliique ibid. cit.

[19] Ita Vermeersch-Creusen. *Epitome j. c.*[4], II, pag. 519, n. 836.

exclusive reservatur. Insuper indicare utrum bona defecerint sine dolo vel culpa, an onera demonstrative vel taxative [20] imposita fuerint, non certe ad personam moralem vel physicam oneratam spectat (quae in casu est pars interesse habens), sed ad competentem auctoritatem, sc., in casu, ad Apostolicam Sedem: secus quisquis posset, per bonorum deperditionem utcumque habitam, a Missarum oneribus solvi.

Praeterea, etsi evidenter agatur de omnimo inculpabili bonorum deperditione, cum tamen S. Sedes, vi can. 1544 § 2 fideiussionem cumulativam — ut explicavimus [21] — pio fundatori praestaverit, Eadem doceri debet si et quatenus bona defecerint, ut exoneratione personae morali ecclesiasticae, cui bona concredita fuerint, legitime concessa, Ipsa de thesauro Ecclesiae suffragia exinde

---

[20] Illa legata seu fundationes - refert Benedictus XIV (op. cit. n. 32), erunt taxative conceptae, si fundatores legando aut aliquo modo disponendo orationem seu dispositionem prius inchoaverint ab assignatione fundi et subinde onus (reale) adiecerint (e. g.: lego agrum seu fundum cornelianum, et ex eius reditibus pro anima mea singulis annis centum Missae solemnes celebrentur); et hoc casu huiusmodi onera ad rationem eleemosynae manualis ut supra moderari posse; secus vero, si fundatores orationem seu dispositionem inceperint ab impositione oneris et subinde fundum assignaverint; tunc onus dicitur demonstrative conceptum (sc. *personale*): e. g. heres meus singulis annis centum Missam celebrari curabit, pro quo onere ei lego agrum cornelianum. Quibus in adiunctis «heredes cogendi sunt ad perpetuam dicti oneris manutentionem et ad supplendam summam deficientem tum pro praeterito quam pro futuro tempore... Est enim haec instar juris regulae, quae semper interposita censeri debet, quamvis litteris expressa non legatur».

Criterium hoc a Benedicto XIV receptum praesumptionem quidem fundat, quae, si in dubiis valet, veritati tamen cedat oportet. Cfr. e g. SCC in Tricaricen. *Ligati Missarum*. 26 februarii 1848 (apud Lingen et Reuss. *Causae selectae*. pag. 329 ss) ubi huiusmodi criterium in casu fallitur. Videsis: Ferraris, *Prompta Bibliotheca*... edit. 4. *Supplementum*: v. *Legatum - Legatarius*. Bononiae, 1715.

Concinne, ut adsolet, d'Annibale (*Summula theologiae moralis* II, n. 70): «Legata pia... vel personalia vel realia: personalia, cum onus personis imponitur; realia cum imponitur praedio... Quod si non satis appareat utrum reale sit legatum vel personale (ut ecce cum legatur genus aut quantitas v. g. decem olei cadi, adiecta mentione praedii, ex quo praestari debent, si praedium taxative fuerit relictum, legatum reale; sin demostrative, personale intelligitur. Porro, si testator initium fecerit a mentione praedii, hoc taxative; sin a legatis, demonstrative relictum habetur. Onera personalia tenent heredes pro portionibus hereditatis: ideo aliquibus eorum exstinctis, onus ipso jure minuitur; extinctis omnibus, evanescit. Realia haerent praedio: hoc autem a patrimonio legantis non abscedit (simplex fiducia); nisi relictum fuerit Ecclesiae vel personae morali (pia fundatio); ideo, eo mortuo, transit ad heredes et dividi inter ipsos et alienari potest. Onus autem legati eos sequitur penes quos praedium est, pro rata praedii: np. heredes semper, extraneos, si vel praedium hypothecae suppositum sit et hypoteca fuerit inscripta vel praedium titulo lucrativo ad eos devenerit vel ipsi impositum onus praedio non ignoraverint».

[21] Cfr. supra not. 10.

pio fundatori defectura supplere possit [22]. Demum sanationes semper S. Sedi sunt reservatae, quamvis agatur de omissionibus propter usum indebitum (sc. post exspirationem) indultorum, quae locorum Ordinarii, vi facultatum quinquennalium et quidem vigentium, concessere.

Datur tamen quandoque a S. Sede indultum generale locorum Ordinariis sanandi huiusmodi tantum omissiones, si specialis occurrat ratio.

5. Cum autem cit. Decretum statuat posthac (sc. ineunte a. 1950) in singulis casibus ad S. Sedem recurrendum esse, videndum quinam in subiecta materia veniant nomine S. Sedis et quaenam facultas competat reducendi Missas, ut omnes, quorum interest, probe sciant cui in concreto mittendus sit supplex libellus ad Missarum reductionem, iusta interveniente causa, impetrandam.

a) *Administrative in utroque foro* R. Pontifex directe oraculo vivae vocis reductionem iusta de causa concedit, praesertim pro sua romana dioecesi per Cardinalem Urbis Vicarium, pro Basilicis Patriarchalibus, pro dioecesibus suburbicariis ac pro titulis cardinalitiis per eorundem Cardinales archipresbyteros, episcopos ac titulares; pro Civitate Vaticana per eiusdem Vicarium; sed etiam aliquando pro aliis Orbis diocesibus sive per Cardinalem Praesidem Instituti « Opere di Religione » in Vaticana Civitate exsistentis pro legatis, quorum bona titulis, (v. d. *titoli di Stato* etc. huiusmodi) consistunt ibique deposita inveniuntur: sive etiam directe in Audentia precibus annuens, quas Ordinarii per supplices libellos porrexerint eosque pro gratia iuxta preces subsignans; sive tandem per Congregationem pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis, praesertim si negotium cum legibus civilibus aliquid coniunctum habet et ad pacta conventa cum variis Nationibus refertur (c. 255): quo tamen in casu votum exquiri solet S. Dicasterii pro diversa cuiusque competentia. Sed ordinarie petitiones huiusmodi, quamvis Eidem directe oblatas, ad peculiare D. Dicasterium pro diversa rei natura, remittit (c. 263, 1°), nisi agatur de Missarum eleemosynis eidem S. Sedi oblatis per Cubiculi Praefectum (v. d. *Maestro di Camera*) aut per cetera SS. Dicasteria.

b) *In foro interno,* etiam non sacramentali, sanationes et condonationes concedit *S. Poenitentiaria* (c. 258, § 1), et quidem

---

[22] Si vero bona a civili Gubernio usurpata fuerint, onera non cessant, sed iis stricte incumbunt qui bona usurparunt ac detinent, ceu declaravit S. C. de Negotiis Extraordinariis a. 1906 (Cfr. Bargilliat, *Praelectiones...*, II[31] 31 n. 1520 b): nisi S. Sedes condonationem (imposita vel minus compositione) concedat: uti factum est in Italia per art. 4 Instr. S. Poenitentiaria d. 12 maii 1929 editae in applicationem art. 28 Concordati Lateranensis.

in iis casibus, in quibus omissionis factum ac ratio in foro externo probari nequit, ut, e. g. Missae quae invalide celebratae fuerint ex defectu ordinis vel materiae [23].

Itemque absolutiones ac compositiones super Missarum oneribus concedit, quae bonis ecclesiasticis inhaerent, necnon — cc. 834, 835 derogans — dilationem, non tamen ultra annum, pro Missarum celebratione, quas qui recepit aliis iusta de causa tradere nolit. Generatim tamen excluduntur reductiones quoad futurum et sanationes quoad praeteritum Missarum, quarum implementum Ordinarius urget ac iure exiget ad normam cc. 841; 843, § 2; 844 § 2. Contra, si e. g. agatur de legato Missarum ad vitam legatarii, qui nec legatum Ordinario loci denuntiavit ad normam c. 1516 § 1 neque eidem satisfecit: quo in caso recurri potest ad S. Poenitentiariam tum pro sanatione quum pro reductione.

c) *In foro externo S. Congregationi Concilii* per se et principaliter competit « moderari quae... pia legata, pia opera, Missarum stipes... attingunt » (c. 250 § 2). Ante Curiae Romanae ordinationem a Pio X inductam, const. *Sapienti consilio* d. 29 iunii 1908, Congregatio Rev. Fabricae S. Petri, iuxta reformationem a Pio IX a. 1863 peractam, amplis facultatibus instructa erat, ut imprimis oratores nimis gravatos ex oneribus piorum legatorum, ex iustis causis et soluta summa in favorem eiusdem Fabricae, ad compositionem admitteret tum quoad onerum praeteritorum omissionem, tum quoad futuram onerum expletionem. Item admittebat redemptionem piorum legatorum, dummodo, praevia solutione summae facta Ordinario, satisfactioni pii legati consultum esset. Porro onera fundationum Missarum sive ad tempus sive in perpetuum sive quoad tempus, locum aliasque conditiones fundationi adiectas solebat reducere certis servatis clausulis. Quoad stipendia quoque manualia Missarum ultra duos menses concedebat dilationem celebrationis, si fideles in oblatione eleemosynae diem non determinarunt [24]. Quae facultates aliaeque huiusmodi in foro externo nunc exclusive pertinent ad S. C. Concilii [25] pro territoriis iuri

---

[23] Dubium tamen circa Missarum valorem in casu resolvit S. Officium, quod ad S. Poenitentiariam resolutionem mittit pro sanatione ac reductione, quatenus opus sit.

[24] Cfr. Wernz-Vidal, *Ius Canonicum*, tom. II, *De Personis*; pag. 511 nota 95.

[25] Potestatem cumulativam S. C. Concilii cum Congr. Rev. Fabricae S. Petri in subiecta materia immerito adhuc admittunt, post Vermeersch-Creusen (*Epitome j. c.*, pag. 519), Van Hove *De Rescriptis*, Romae, 1936; pag. 157 nota 1), Coronata (o. c. pag. 503, nota 3) et dubitanter Wernz-Vidal (o. c. II. pag. 512).

communi subiectis [26] cum limitationibus tamen post CJC inductis, de quibus infra.

d) *S. C. Concistorialis* onera Missarum mensam episcopalem gravantium reducit [27]. Item dicendum de partiali dispensatione (si casus occurat, qui perrarus erit) a Missa pro populo, quam Episcopi residentiales, iisque ex iure aequiparati, applicare tenentur, vel a Missa, quam animarum curatores Italiae semel in anno applicare tenentur ad mentem S. Pontificis favore Emigrantium loco Missae pro populo [28]. Praeterea ex Motu proprio 20 april. 1923 haec S. Congregatio facultates quinquennales unica formula collectas Nuntiis Apostolicis ac Ordinariis locorum distribuit. At, saltem initio cuiuscumque quinquennii, a singulis S. Sedis officiis requiret an in dictis facultatibus aliqua mutatio perficienda sit eamque in formulam, quae distribuenda deinde erit, adamussim introducet [29]. Demum d. 29 iunii 1919 ad Cleri inopiam sublevendam post prius immane bellum, Italiae Ordinariis litteras circulares misit, quibus — inter alia — facultatem dedit taxam dioecesanam elevandi atque iuxta eandem Missarum eleemosynas tum manualium quum fundatarum reducendi. Quae tamen facultas, utpote extraordinaria, ad unum tantum quinquennium erat valitura, initio ducto ab a. 1919 vel (si oneribus iam santisfactum fuisset) ab a. 1920 [30].

e) *S. C. de Religiosis ius habet,* ex declaratione coetus Card. d. 24 martii 1919 [31] concedendi, servatis consuetis normis, sanationes et condonationes quoad praeteritum et reductiones quoad futurum relate ad cappellanias et alia legata, quae, licet concredita non sint Ordini aut familiae religiosae qua tali, erecta tamen aut

---

[26] Haec in Annuario Pontificio (*La Gerarchia Cattolica*: *sedi residenziali*) ab aliis distinguuntur, quae sine asterico notantur; cetera vero, si cum uno ad S. C. Orientalem; si cum duplici asterico notantur, ad S. C. de Prop. Fide pertinent.

[27] Vermeersch-Creusen (*Epitome j. c.*[4] II, pag. 519) id arguit ex declaratione Coetus. Card. d. 13-27 nov. 1922 circa compentetiam huius S. C. quoad reditus et bona ad mensas episcopales spectantia (AAS 1923 pag. 39 s). Revera S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, quamvis vi eiusdem declarationis eadem quoad Seminariorum bona alienanda gaudeat competentia, onera tamen Missarum favore Seminariorum fundatarum nullatenus reducit (cf. infra litt. f). Potius ideo dicendum S. C. Concistorialem facultatem praedictam sibi vindicare ex eo quod ipse S. Pontifex sit Praefectus huius S. Congregationis, qui ideo hanc facultatem iure proprio eminenter habet eamque per S. Concistorialem exercet tum singulis vicibus, np. precibus annuens E.mi Card. Secretarii eiusdem S. Congregationis in ordinariis Audientiis, quum habitualiter per facultates eidem Cardinali concessas.

[28] Cfr. Litt. Circ S. C. Concistorialis, n. 628-17.

[29] Normae de taxis in finem formulae facultatum quinquennalium insertae, a a S. C. Concilii praefiniendae per se sunt, ad normam cc. 59 § 2, 1507 § I, c 250 § 2 (« *taxas Curiarum episcopalium...* »).

[30] Cfr. AAS 1919, pag. 277-279.

[31] Cfr. AAS 1919, pag. 25 ad II.

translata reperiuntur in ecclesias religiosorum; quoadusque legatorum administratio et adimplementum religiosis concredita sunt: secus spectat ad S. C. Concilii.

Demum ex textu cit. declarationis excipitur Missarum manualium reductio tum quoad numerum quum quoad eleemosynas: ibi enim mentio expresse fit tantum de Missis fundatis, sc. de cappellaniis aliisque legatis. At nihil prohibet quominus S. Pontifex facultatem Cardinali Praefecto S. C. de Religiosis impertiatur ut has etiam Missas reducere possit iuxta normas a SS. Congregationibus observandas.

f) *S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus,* ut seminariorum inopiam sublevaret eorumdemque necessitatibus occurreret, iam ab a. 1919 facultatem a S. Pontifice obtinuit dispensandi ex parte ab obligatione Missarum pro populo favore seminariorum.

Praeterea sub die 30 ian. 1941 indultum obtinuit pro Pont. Seminariis Regionalibus Italiae, ad d. 31 dec. 1945 usque valiturum, quo mandavit singulis parochis ut quotannis applicarent ad mentem eiusdem S. Congregationis quadraginta ex Missis pro populo; cauto ut a dicto onere nulla dispensatio valida esset sine expressa S. Pontificis derogatione; quod tamen onus parochis incumbebat earum tantummodo dioecesum, quae clericos ad Pont. Seminaria Regionalia misissent.

Itemque facultatem Italiae Ordinariis dedit, ut a residuis Missis pro populo (tredecim tamen exceptis, quarum duodecim pro populo et — iuxta citatum rescriptum S. C. Concistorialis — una pro Emigrantibus) parochos dispensaret favore Seminariorum dioecesanorum necnon (si facultatem habuissent) piarum dioecesis operarum.

Nunc autem, ex vigenti praxi si dispensatio a Missis pro populo ac indultum eleemosynam accipiendi Missarum binatarum impetretur favore Seminariorum ac simul cumulative piarum dioecesis operarum, ad S. C. Concilii recurrendum; si favore tantum Seminariorum dioecesanorum (aliis piis operibus exclusis) ad S. C. de Seminariis ac Studiorum Universitatibus. Quod autem pertinet ad piorum legatorum reductionem, exclusive id videt S. C. Concilii, quamvis agatur de Missis legatis favore Seminariorum.

g) *S. C. de Propaganda Fide* pro territoriis Missionum (in quibus tamen Missarum fundatarum et etiam manualium numerus generatim exiguus est) Missas iam reductas accipere non solet. Ex facultatibus verum a SS. Pontificibus eiusdem S. Congregationis Card. Praefecto concessis Missas reducit quoad eleemosynam tantum, integro tamen manente earundem numero. Praeterea faculta-

tem Missas manuales reducendi Ordinariis concedit ex Audentia SSmi.

h) Eadem fere praxis servatur a *S. C. Orientali* pro territoriis eidem subiectis, ad mentem c. 257 § 2 [32].

6. a) *Iure delegato,* ex facultatibus quinquennalibus a S. C. Concilii per tramitem S. C. Concistorialis concessis, *Nuntii, Intenuntii et Delegati Apostolici* pro suis territoriis facultatem habent indulgendi ex causa paupertatis iis, qui Missarum sive manualium sive fundatarum applicationem omiserint, ut quoad praeteritum tempus obligationem suam paulatim adimplere valeant, ita np. ut faciant quantum possunt pro integra satisfactione oneris Missarum quo gravatur, celebrando vel per se vel per alium singulis mensibus aliquem Missarum numerum, iuxta eorum vires de bono et aequo a concedente et, in casibus occultis, a confessario determinandum: cauto autem ut, si praedictorum rei ita faciendo ante huiusmodi satisfactionem obierint, nec habeant quid pro eodem onere sive in toto sive in parte adimplendo reliquant, ipsis, dum pie in Christo decedunt, condonata fore censeri, defectum quemcumque tunc supplente S. Sede de thesauro Ecclesiae.

Item facultatem iidem habent concedendi, si in aliquo casu ob peculiaria omnimo adiuncta expediens in Domino videatur, ut ad certum numerum — iuxta vires petentis — Missae, quoad praeteritum pariter tempus, reducantur, dummodo ne agatur de recidivis; supplente pariter Sanctitate Sua reliquarum Missarum defectum de Ecclesiae thesauro.

Quae tamen facultates a pontificio administro subdelegari nequeunt, nisi subdelegandi facultatem obtinuerit; nec ultra quinquennium per se durant, quamvis ex officio renoventur.

b) *Ordinarii locorum* praeter facultatem ab ipso fundatore (cc. 1517 § 1, 1551 § 1) vel a iure (c. 1187) expresse eisdem concessam ac illam pias fundationes declarandi (cfr. supra n. 4) in ordine ad earundem exsecutionem, habere possunt a S. Sede:

1) *Indultum generale* (c. 1551 § 3) reducendi piarum fundationum onera quaecumque ea sint (Missarum sc., cultus vel beneficentiae): quo in casu, nisi aliud constet, indultarius potius alia onera quam Missas reducat; et hoc ex praesumpta fundatoris voluntate, qui maius beneficium spirituale a Missae applicatione accipiens quam ab aliis piis operibus, has potius quam illas amittere vellet.

[32] Cfr. etiam: *Monitum* d. 2 apr. 1928 *De colligentibus stipem vel Missarum eleemosynas pro Orientalibus* (ASS, XX, pag. 107); Instr. *Saepe numero*, d. 7 ian. (AAS, 1930, pag. 108-10) de clericis orientalibus eleemosynas, pecuniam vel Missarum stipendia colligentibus seu corrogantibus extra Orientales regiones et dioeceses.

At si harum implementum pio fundatori cordi praeprimis fuisse videtur sive quia pertinent ad divini cultus decorem et pauperum levamen procurandum, Missae potius quam illa onera reducantur [33]: praesumptio enim in casu cedit veritati, si haec certo constet ex tabulis fundationis [34]. *Hodie tamen huiusmodi indulta generalia a S. Sede amplius concedi non solent.*

2) *Indultum speciale* (c. 1551 § 2): e. g. reducendi pia legata et onera Missarum: quo non intelligitur concessa nisi potestas Missas reducendi [35]. Haec potestas ideo non extenditur ad reliqua pia legata piasve inter vivos dispositiones, quibus e. g. eleemosynam pauperibus distribui aut inopes virgines dotari praecipiatur, aliaque huiusmodi. Hodie autem, ex facultatibus quinquennalibus [36], Ordinarii Italiae (aliarumque Nationum, si facultates Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis concessae forte non sufficiant) facultatem habent:

I. Reducendi per 5-m ob deminutionem redituum ad rationem eleemosynae in dioecesi vigentis Missas, de quibus in c. 826 § 3, quoties stipendia percipienda sint ex fundationum indipendentium [37] reditibus, et nemo sit qui iure teneatur et utiliter cogi queat ad eleemosynae augmentum; sub lege tamen ut de Missarum ita reductarum satisfactione a singulis celebrantibus Curia dioecesana quovis anno edoceatur;

II. Transferendi per 5-m intra fines dioecesis onera Missarum in dies, ecclesias vel altaria alia a fundatione statuta, dummodo adsit vera necessitas nec divinus cultus idcirco minuatur aut populi commoditati praeiudicium inferatur, exceptis tamen legatis, quae in certis locis adimpleri facile possunt per eleemosynae augmentum, et cauto ut de translatarum Missarum satisfactione quovis anno Curia Diocesana item edoceatur;

III. Transferendi per 5-m exuberantia Missarum onera etiam extra dioecesim; cauto tamen ut quam maximus Missarum numerus intra fines dioecesis celebretur atque adamussim serventur praescripta Codicis iuris canonici circa cautelas adhibendas in Mis-

---

[33] Cfr. SCC in Ferrarien. *Reduct Miss.* I iunii 1861 (apud Lingen et Reuss o. c., pag. 359 s).

[34] Cfr. Bened. XIV. *De Syn. dioec.* lib. XIII, cap. ult., n. 23 ss.

[35] Cfr. Bened. XIV, o. c. l. c. n. 2 ss.

[36] Quinquennia per se computanda erunt ad mentem can. 340 § 1, np. a d. 1 ian. 1911.

[37] Quae sc. autonomia subiectiva gaudent, quae np. habetur, si fundator ex suis bonis substratum materiale praestiterit, quod Ecclesia acceptaverit et in distinctam personam moralem erexerit (cfr. cc. 1489-1494). Si vero agatur de piis fundationibus, de quibus in c. 1544 § 1, ad S. Sedem recurrendum: itemque si agaliur de sanatione post exspiratum rescriptum, quamvis vi facultatum quinquennatum ab Ordinario loci concessum, ut iam dictum est (cfr. supra n. 4 lett. c.) in fine).

sis committendis. Alia specialia indulta pro diversis rerum ac temporum circumstantiis S. Sedes concedit ad tempus quidem, sed renovabile [38]. Iuxta quosdam AA. [39] huiusmodi facultatibus Ordinarii uti possunt etiam favore Religiosorum in suis dioecesibus degentium. Quod quidem nunc negandum est tum ex cit. declaratione 29 iunii 1919, quum ex vigenti Curiae Romanae praxi.

Demum indultum tum generale tum speciale reducendi Missas fundatas non protenditur ad alias Missas ex contractu debitas (c. 1551 § 2), de quibus infra.

3) *Indultum particulare* quod S. Sedes, attentis expositis ab Ordinario loci, eidem benigne iuxta preces impertitur in casu peculiari et determinato. Praeterea loci Ordinarius a S. Sede generatim designatur uti exsecutor rescriptorum favore alicuius personae physicae vel moralis suae dioecesis.

c) Si agatur *de Missis ex contractu debitis,* qui nimis gravatum se sentiat, iudicem competentem adeat, ut, iuxta recepti iuris regulas, vel contractum rescindat titulo laesionis vel saltem ad iustitiae et aequitatis mensuram redigat [40].

Quare Praelatus inferior, qui indultum etiam generale obtinuerit reducendi onera Missarum administrative, nihil potest circa huiusmodi Missas, iuxta c. 1551 § 2: etenim iam antiquitus in facultatibus, quae Ordinariis concedebantur, haec clausula inserta invenitur: « exceptis instrumentis seu contractibus, super quibus manus apponere non debeat, nisi in casu iudicialis instantiae pro illorum rescissione titulo laesionis [41].

Nec S. Sedes huismodi Missarum onera reducere olim solebat administrative [42]. Recentius vero id quandoque indulsit, auditis tamen interesse habentibus. Nunc tamen via iudiciaria fere omnino obsoleta est: etenim S. C. Concilii (cui per se et principaliter haec materia spectat) est competens in omnibus controversiis negotia eidem commissa spectantibus, quas in linea disciplinari (seu administrative) pertractandas censuerit (c. 250 § 5).

---

[38] Cfr. indultum Ordinariis Bavariae concessum d. 15 novembris 1927, n. 2006-26.

[39] Cfr. Coronata o. c. II, pag. 505 B) et alios ibi cit.

[40] Cfr. Bened. XIV, o. c. l. c. n. 35.

[41] Idem, ibid. n. 12. Formulam autem implorationis offici iudicis et decreti concessionis videsis apod Monacelli, *Formularium..*, Romae 1884. *Suppl.* ad II tom., pag. 112, nn. 466-468.

[42] Cfr. SCC in Fanen. *Reduct. Missarum* 27 april. 1720. Faventina, *Oneris Missarum*, 12 febr. 1735, et *Reduct. Missarum* 18 nov. 1720. Vallisoletana 23 maii 1784 § *Sacro* (ubi plures aliae huiusmodi causae citantur), Egitanien. *Oneris Missarum.* 14 febr. 1778. Syracusana, *Reduct. canonis et absolutionis.* 24 ian 1845 § *Laesionem.* Cfr. SCC in Sorana. *Reduct. Missarum* 23 maii 1857 (apud Lingen et Reuss o. c. 335 ss).

En tota materia de competentia circa Missarum reductionem schematice ordinata:

I. *Via administrativa*:

A) Iure proprio: (Sedes Apostolica)
- in utroque foro: R. Pontifex
- in foro interno: S. Poenitentiaria
- in foro externo:
  - in territoriis iuris communis:
    - S. C. Concilii
    - S. C. Concistorialis
    - S. C. de Religiosis
    - S. C. de Seminariis
  - » » orientalis: S. C. Orientalis
  - » » missionarii: S. C. de Prop. Fide

B) Iure delegato: (ex Fac. 5bus)
- Nuntii, Internuntii, Delegati Apostolici.
- Ordinarii locorum.

II. *Via iudiciaria*

(quoad Missas tantum ex contractu debitas): Iudex competens.

De modo exarandi supplicem libellum ad Missarum reductionem impetrandam pro variis circumstantiis, quae in praxi occurrere possunt, atque de stylo Curiae in huiusmodi rescriptis concedendis necnon de normis, quas Ordinarii locorum in iisdem exsequendis servent oportet, dicemus alia vice.

FLORENTIUS ROMITA
a studiis S. C. Concilii

DECRETUM

DE ABSTINENTIAE ET IEIUNII LEGE OBSERVANDA

« Cum adversa rerum adiuncta, quae legem abstinentiae et ieiunii mense decembri a. D. 1941 relaxandam suaserunt, fere ubique aliquantum remissa sint, adveniente propitio Anni Sancti tempore, pluribus postulantibus Excellentissimis Ordinariis, visum est ut saltem ex parte lex ipsa restauretur.

Quapropter Ss.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII decernere dignatus est pro omnibus fidelibus ritus latini, etiam pertinentibus ad Ordines et Congregationes Religiosas, facultatem Ordinariis concessam super praedictam legem dispensandi ita coarctari ut, a prima die proximae Sacrae Quadragesimae et donec aliter provideatur, abstinentia servetur singulis feriis sextis; lex vero abstinentiae simul et ieiunii feria quarta cinerum, feria sexta Maioris Hebdomadae, pervigiliis Assumptionis B. M. V. et Nativitatis D. N. I. C.; benigne tamen indulgens ut diebus abstinentiae simul et ieiunii ova et lacticinia etiam mane et vespere ubique sumere liceat.

Locorum autem Ordinarii, qui nova hac legis abstinentiae et ieiunii moderatione utuntur, fideles hortari ne omittant, praesertim clericos, religiosos et religiosas, ut gravissimis hisce temporibus voluntaria christianae perfectionis exercitia nec non caritatis opera, maxime erga inopes et aegrotos, libenter addant, itemque ad mentem Summi Pontificis preces effundant.

Datum Romae, die 28 Januarii 1949.

F. Card. MARMAGGI, *Praefectus*
F. ROBERTI, *a secretis* ».

(*A. A. S.* vol. XXXXI p. 32)

LEGES. *Codex Juris Canonici:* cc. 1250-1254.

Decretum S. C. pro Negotiis Eccles. Extraord. diei 19 decembris 1941, AAS, 1941, pag. 516.

Decretum S. C. Concilii, diei 28 Januarii 1949, AAS, 1949, pag. 31.

Notificationes S. C. Concilii dierum 12 sept. 1939, (*L'Osservatore Romano* 12 settembre 1939); 23 dec. 1939, (*L'Osservatore Romano* 23 dicembre 1939); 20 dec. 1940, (*L'Osservatore Romano* 20 dicembre 1940); 7 dec. 1940, (*L'Osservatore Romano* 7 dicembre 1940).

AUCTORES. VERMEERSCH, *Theologiae Moralis Principia*, editio III, Vol. III, pp. 731-748.

VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome J. C.*, editio 1939, Tom. II, pp. 350-354.

GENICOT-SALMANS, *Institutiones Theologiae Moralis*, editio XI, Vol. I, pp. 360-369.

CORONATA, *Institutiones Juris Canonici*, editio 1931, Vol. II, pp. 142-147.

SARTORI, *Enchyridion Canonicum*, editio VIII, passim.

ADNOTATIONES

SUMMARIUM: Praenotamina 1.

I. Lex de abstinentia et ieiunio in Codice Juris Canonici. - Divisio materiae 2. - Obiectum legis de abstinentia 3. - Obiectum legis de ieiunio 4. - Dies abstinentiae et ieiunii 5. - Qui utraque lege ligantur 6. - Qui ab utraque lege dispensare queunt 7. - Jura specialia 8.

II. Legis de abstinentia et ieiunio moderatio per indulta usque ad annum 1939. - De causis indultorum generatim 9, 10, 11. - Moderatio legis de abstinentia per indulta 12. - Moderatio legis de ieiunio per indulta 13.

III. Lex de abstinentia et ieiunio durante bello 1939-1945. - Causa indultorum 14. - Indulta Italiae fidelibus concessa 15, 16, 17, 18. - Decretum S. C. pro Negotiis Eccl. Extr. 19, 20.

IV. Partialis restauratio legis de abstinentia et ieiunio. - Causa restaurationis 21. - Restauratio legis pro fidelibus rituum orientalium 22. - Restauratio legis pro fidelibus ritus latini 23, 24, 25.

1. Praeceptum de abstinentia et ieiunio maxima varietate, labentibus saeculis, propositum est [1]. Postquam in Codice Juris Canonici stabiliter sancitum est, pia mater Ecclesia illud modo relaxavit (concedendo dispensationes cum generales tum particulares pro diversis sive locorum sive temporum rerum adiunctis), modo restauravit, sollicita semper et de jure divino observando, quo sta-

[1] De historica evolutione praecepti cfr. VERMEERSCH, *Theologiae Moralis Principia*, editio III, Vol. III, n. 804.

tuitur ut homines mortificationem exerceant necessariam ad tentationes vincendas vel iram divinam placandam [2], et de bono animarum fovendo, quod postulat ne sapiens legum conditor humeris humanis, fragilitate debilioribus, onera nimis gravia et intolerabilia imponat.

Maximae praecepti relaxationes concessae sunt perdurante teterrimo bello quod, inter Germaniam et Poloniam anno 1939 primo ortum, mox totum fere orbem terrarum incendit et condiciones annonarias populorum valde miseras reddidit. Decretum Sacrae Congregationis Concilii, die 28 januarii anni 1949 editum, initium videtur generalis restaurationis praecepti. Eius vim et extensionem inspecturi, quaedam praemittamus oportet et de ipsa lege de abstinentia et ieiunio prout in Codice Juris Canonici statuitur, et de eius moderatione per indulta particularia ab Ecclesia diversis nationibus concessa ante annum 1939, et de relaxationibus generalibus ab ipsa Ecclesia concessis perdurante bello annis 1939-1945 gesto.

I. Lex de abstinentia et de ieiunio in Codice Juris Can.

2. Codex Juris Canonici legem abstinentiae a lege ieiunii distinguit [3], licet aliquot diebus utriusque legis observantiam simul imponat, et, definito obiecto utriusque legis, quandonam et quibus utraque servanda sit declarat. Tandem reservat indulta particularia et vota cuiuslibet personae, vel physicae vel moralis, nec non constitutiones et regulas cuiusvis religionis vel Instituti religiosi adprobati.

3. *Obiectum legis abstinentiae.* « Abstinentiae lex vetat carne iureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis, etiam ex adipe animalium » (can. 1250).

Quid habeat rationem *carnis* sensu legis non ex theoriis scientiarum, sed ex communi aestimatione et probata locorum consuetudine est desumendum. Deficiente usu, lege abstinentiae prohibita censetur caro animalium terrestrium, seu quae diu extra aquam vivere solent vel quae calido sanguine perfunduntur [4]. Quoad *amphibia* considerandum est quibuscum animalibus eorum caro maiorem similitudinem habeat. Ex communi acceptione pi-

---

[2] Genicot-Salmans, *Institutiones Theologiae Moralis*, edit. XI, vol. I, n. 435.

[3] In jure veteri obligatio abstinentiae pars erat obligationis ieiunii, et vigebat insuper lex vetitae promiscuitatis, qua qui diebus ieiunii a servanda abstinentia dispensabantur, sumere carnes et pisces in eadem refectione vetabantur. Cfr Vermeersch-Creusen, *Epitome*, 1934, Tom. II, n. 564.

[4] S. Thomas, 2, 2, q. 147, art. 8, c.

scibus aequiparantur ostrea, mituli, cammari, canceres, testudines, ranae, locustae. Ubi consuetudo faveat, tolerantur etiam fulicae vel huiusmodi volucres nantes. Nonnulli permittunt etiam lustra et castores. Si dubium probabile permaneat vel de consuetudine, vel de natura carnium alicuius animalis, licebit eis vesci donec decretum Sanctae Sedis vel accuratius examen prohibitionem fecerit certam. Lex enim abstinentiae est lex prohibens, et, donec non constet de prohibitione, libertatem non ligat.

Vetitum est *jus confectum ex carne*. Item retinetur plerumque prohibitum jus confectum ex extracto « *Liebig* », dum plures retinent non esse prohibitum « *Brodo Maggi* » [5].

Prohibita non sunt, praeter *ova, lacticinia*, quo verbo ipsum *lac*, et quidquid ex lacte conficitur, veluti *caseus*, significatur [6].

Prohibita non sunt *condimenta*, seu quidquid, sive liquidum, sive solidum, adhibetur ut cibus principalis sapidus reddatur. *Laridum* tamen non liquefactum sub prohibitione retineri censetur, dum permitti censentur butyrum ex pinguedine artificiose confectum, vulgo *margarina*, et omnes substantiae, quovis nomine vocentur, quae, quamvis originem a carne et carnis vim nutritivam habeant, tamen gustum carnis vel jusculi amiserunt [7]. Non comprehendi ecclesiastica prohibitione usus « *peptone* » censet Vermeersch contra Genicot-Salmans [8].

4. *Obiectum legis ieiunii*. «Lex ieiunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio fiat » (can. 1251, § 1), quae *unica comestio*, seu plena refectio, constituit essentiam ieiunii.

In unica comestione quantitas cibi nullos unquam habet limites; qualitas autem nullos limites diebus solius ieiunii; diebus vero abstinentiae simul et ieiunii qualitas limites habet a lege abstinentiae praestitutos.

Unica comestio fit plerumque circa meridiem, non est ultra duas horas circiter producenda, et nequit interrumpi moraliter, id est saltem non notabiliter ultra semi-horam. « Si quis tamen semipransus discedere ob negotium coactus fuerit, impune, etiam post plures horas, ad mensam redibit, ex benigno Ecclesiae sensu, ne transigat diem sine ulla refectione plena » [9]. Unica comestio potest

---

[5] Matthaeus a Coronata, *Institutiones j. c.*, Vol. II, n. 247.

[6] Jure veteri distinctio fiebat inter *cibos esuriales* (qui diebus abstinentiae et ieiunii manducari poterant) et *non esuriales* (qui diebus abstinentiae et ieiunii manducari non poterant). Inter hos comprehendebantur omnes cibi qui a carne originem ducunt, sicut ova et lac. Cfr. Vermeersch-Creusen, l. c., n. 564.

[7] Genicot-Salmans, l. c., n. 442.

[8] Vermeersch, l. c., 805, I, 3.

[9] Vermeersch, l. c., 805, II, 2b.

cum prandio permutari, nec vetitum est in eadem refectione, die solius ieiunii, carnes et pisces permiscere (can. 1251, § 2) [10].

Lex ieiunii « non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine » (Can. 1251 § 1). Permittitur ergo *frustulum matutinum* et *cenula vespertina*. At quantitas et qualitas cibi in his refectiunculis sumendi determinatur diversibus usibus receptis in variis locis [11].

Ad quantitatem quod attinet omnes communiter admittunt in frustulo matutino posse sumi duas uncias (circiter 60 grammata) cibi, non computato uno cyatho, composito caffaeo et « cioccolata » satis tenui; in cenula vespertina 8 uncias (circiter 240 grammata).

Quoad qualitatem autem in primis servanda est regula generalis: diebus solius ieiunii non licet vesci carnibus pluries in die [12]. Si quis proinde carnes manducavit in refectione plena, non potest carnibus vesci in cenula vespertina. Postea servandi sunt usus recepti, qui in variis locis satis varii habentur. Ita in Italia admittuntur soli cibi esuriales, ovibus et lacticinis exclusis [13]; in paucis locis permittuntur ova, in pluribus saltem lacticinia; in Hispania, exceptis una alterave dioecesi partis septemtrionalis, prohibentur ipsi pisces et pisciculi [14]. Regulam tamen praedictam, de non sumenda carne pluries in die, sicut limites quantitatis et qualitatis a receptis locorum usibus definitos diebus solius ieiunii observare non tenentur qui ratione aetatis, officii vel valetudinis lege ieiunii non adstringuntur [15].

Quod attinet ad quantitatem et qualitatem cibi in frustulo matutino et in cenula vespertina sumendi, peregrini tenentur observare usus receptos in locis, in quibus actu versantur, et nequeunt stare usibus fortasse benignioribus in loco sui domicilii receptis, quia ipsa lex universalis statuit ut serventur usus recepti in singulis locis, et varietas observationis in uno eodemque loco facile evaderet scandalosa et damnosa [16].

---

[10] Ita abolita est lex qua Benedictus XIV (C. *In suprema*, 22 augusti 1741) permixtionem carnis cum piscibus in eadem comestione diebus ieiunii prohibebat.

[11] « Consuetudo hic non intelligitur proprie dicta consuetudo, legitime praescripta et moribus populi inducta, sed designat receptos usus, quibus aliter in aliis locis recessum est a rigore abservantiae quadragesimalis, quae vespere et mane non admittebat nisi cibos esuriales » Vermeersch-Creusen, l. c., 566.

[12] Praeses Pont. Comm. 29 oct, 1919, AAS, 1919, 480. Cfr. Sartori, *Ench. Can.* editio VIII. pag. 249.

[13] Sed iam a pluribus annis S. Pontifex per Quadragesimam indulsit mane et vespere lacticinia et ova.

[14] Vermeersch, l. c. 805, II, 3.

[15] S. C. Concilii 17 oct. 1923. Sartori, l. c. pag. 249.

[16] Vermeersch, l. c. 805, II, 3.

5. *Quibus diebus servanda sit lex abstinentiae et ieiunii.* Lex solius abstinentiae servanda est singulis feriis sextis (can. 1252 § 1).

Lex abstinentiae et ieiunii simul servanda est feria IV Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae et Quattuor Temporum, feriis quartis Quattuor Temporum, pervigiliis Deiparae in coelum Assumptae, Pentecostes, Omnium Sanctorum, Nativitatis D.N.J.C. (can. 1252 § 2).

Lex solius ieiunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus (can. 1252 § 3).

At Sabbato Sancto lex de abstinentia et de ieiunio cessat hora 12 (can. 1252 § 3) [16a]. Diebus dominicis totius anni, et die festo de praecepto extra Quadragesimam cessat lex abstinentiae, lex abstinentiae et ieiunii, et lex solius ieiunii (can 1252 § 4). Non cessat tamen lex si festum de praecepto in aliquo loco suppressum sit ex concessione S. Sedis, ita ut in illo loco festum non sit amplius de praecepto [17]; nec cessat lex si festum de praecepto incidat durante Quadragesima [18]. Vigilia insuper non anticipantur, id est si festum e. g. Deiparae in coelum Assumptae incidat feria II, abstinentiae et ieiunii lex quae servanda esset vigilia, cessat et non est in diem sabbatum immediate praecedentem anticipanda (can. 1252 § 3) [19].

6. *Quinam legem de abstinentia et ieiunio observare tenentur.* « Abstinentiae lege tenentur omnes qui septimum aetatis annum expleverint; lege ieiunii adtringuntur omnes ab expleto vigesimo primo aetatis anno, ad inceptum sexagesimum » (can. 1254). Verbo « omnes » et mulieres comprehenduntur [20].

Qui canon componendus est cum canone 12, quo lege ecclesiastica immunes declarantur quotquot non habeant expeditum

---

[16a] Indulta tamen particularia indulgent alicubi cessationem legis hora 11. Ita in Austria.

[17] Ut lex abstinentiae, lex abstinentiae et ieiunii et lex solius ieiunii cesset, condicio necessaria est ut festum sit actu de praecepto; si autem festum aliquod de praecepto in aliquo loco ex concessione Ecclesiae non sit amplius de praecepto, et incidat forte die quo abstinentia sola, abstinentia et ieiunium, vel solum ieiunium jure communi sint servanda, standum est legi communi. Hoc evidenter deducitur ex § 4 canonis 1252; sed et expresse declaratum est a Pont. Comm., 17 febr. 1918 (*AAS*, 1918, pag. 170) et a *S. Congregatione Concilii* ad Archiep. *Mechlinien*, die 28 augusti 1911. Cfr. Sartori, l. c., pag. 250.

[18] Pont. Comm., 24 nov. 1920, *(AAS)* 1920, pag. 576. Cfr. Sartori, l. c., p. 251.

[19] Regula de non anticipandis vigiliis respicit totum annum, non excepto Quadragesimae tempore. Pont. Comm. 24 nov. 1920. *AAS* 1920, pag. 576. Cfr. Sartori, l. c., pag. 250.

[20] Praeses Pont. Comm., 13 januarii 1918. Cfr. Sartori, l. c., pag. 253. Itaque abolitum est mirum privilegium quo quidam volebant mulieres quinquagenarias solvere a lege ieiunii. Cfr. Vermeersch-Creusen, l. c., 570.

usum rationis. Baptizati ergo qui non gaudeant sufficienti usu rationis, non ligantur lege etiam si septimum vel vigesimum primum aetatis annum expleverint; si vero sufficientem usum rationis assecuti fuerint etiam ante septimum aetatis annum, lege abstinentiae solum post expletum septimum aetatis annum, lege ieiunii solum post expletum vigesimum primum et usque ad inceptum sexagesimum ligantur.

7. *Qui dispensare possunt a lege abstinentiae et ieiunii.*

Summus Pontifex potest super lege de abstinentia et ieiunio dispensationes sive particulares sive generales concedere in tota Ecclesia. In Ecclesia latina hanc suam potestatem plerumque exercet per Sacras Congregationes de Religiosis, pro fidelibus ritus latini ad Ordines et Congregationes religiosas pertinentibus; Concilii pro fidelibus ceteris ritus latini, qui versantur in territorio juri communi subiecto; de Propaganda Fide pro ceteris omnibus fidelibus, qui in territorio Missionum versantur.

Nuntii et Delegati Apostolici possunt super eadem lege, iusta de causa dispensare in casibus particularibus (n. 10 facultatum ipsis a S. Sede concessarum).

Ordinarii locorum [21] ex causa peculiari magni populi concursus aut publicae valetudinis possunt totam quoque dioecesim seu locum a ieiunio et abstinentia vel etiam ab utraque lege dispensare (can. 1245 § 2). Causa autem dispensandi peculiaris esse debet, non ordinaria seu habitualis, qualis forent hebdomadariae nudinae. Et debet esse taxative vel magnus populi concursus vel publica valetudo, ex quibus oriatur difficultas observandi legem. Si proinde hoc periculum non exurgit, e. g. quia in regione catholica populus etiam die magni concursus de violanda lege ne cogitaret quidem, tunc, juxta sensum legis, lex non esset non expectata dispensatione relaxanda [22]. Magnus autem populi concursus habetur etiam per extraordinarium concursum fidelium unius tantum paroeciae ad festum in ecclesia celebrandum [23].

Ordinarii locorum et etiam parochi, in casibus singularibus et iuxta de causa, possunt, subditos singulos sibi subiectos singulasve familias, etiam extra territorium suum, atque in suo territorio etiam singulos peregrinos singulasve peregrinorum familias a lege communi de abstinentia et de ieiunio vel etiam ab utraque lege dispensare (can. 1245 § 1).

Eandem facultatem habent, ad modum tamen parochi, etiam

---

[21] Nomine « Ordinarii locorum » non veniunt Superiores religionum. Can. 198, § 2.

[22] Vermeersch, l. c., 808.

[23] Pont. Comm., 12 mart. 1929. *AAS.* 1929, pag. 170. Cfr, Sartori, l. c., p. 248.

Superiores in religioni clericali exempta (can. 1245 § 3), quae facultas extenditur etiam ad professos, novicios, aliosve in religiosa domu die noctuque degentes causa famulatus, aut educationis, aut hospitii aut infirmae valetudinis.

8. *Jura specialia.*

Lex de abstinentia et de ieiunio non immutat obbligationes libere a persona physica vel morali per *votum* susceptas, neque immutat obligationes circa abstinentiam et ieiunium statutas *regulis* et *constitutionibus* cuiusvis religionis vel instituti adprobati sive virorum sive mulierum in communi viventium etiam sine votis (can. 1253).

Vota et constitutiones plerumque statuunt obligationes severiores quam quae ab ipsa lege canonica statuuntur; et haec non dispensat ab his severioribus obligationibus. Titulus autem harum obligationum manet, etiam post Codicem, qualis per se erat, ita ut obligatio possit esse gravis, levis et etiam mere poenalis.

Eaedem obligationes, quoad modum, subiacent tamen juri communi. Ita si quis voverit solum ieiunium, non tenetur abstinere et a carnibus, et quoad quantitatem et qualitatem cibi in frustulo matutino et in cenula vespertina sumendi, sequi tenetur receptos loci in quo versatur usus. Qui voverit solam abstinentiam, non tenetur abstinere ovis et lacticiniis.

Etiam pro obligationibus votis susceptis vel regulis et constitutionibus inductis valet principium de non anticipanda vigilia. Quare bene Romae 1920, quo festum Purificationis B. M. V. feria secunda occurrebat, ieiunium votivum pervigilii locum non habuit.

Indulta plerumque plus permittunt quam jure communi statuitur. Ipsa ab Apostolica Sede conceduntur. Iamque nobis est de his in sequentibus agendum.

II. Legis de abstinentia et de ieiunio moderatio per indulta usque ad annum 1939.

9. Ecclesia Christi catholica est, eiusque subditi, genere, lingua, moribus et natione diversi, versantur in regionibus quae climate maxime inter se differunt. Locorum, climatis et morum diversitas efficit ut non omnibus fidelibus eadem sit ubicumque possibilitas legis de abstinentia et de ieiunio, prouti in Codice Juris Canonici promulgata est, observandae, et periculum oriatur violationis eiusdem.

In primis locorum et climatis diversitas. Sunt enim loci in quibus carnes praesto sunt, dum pisces, legumina et in genere

cibi vulgo dicti « di magro » difficiliter comparantur et magno praetio emuntur.

Morum diversitas efficit ut in aliquibus nationibus sabbatum, finis hebdomadae, dies sit generalis relaxationis; vel festivitates civiles celebrentur a populo maxima cum solemnitate.

Insuper in una eademque natione sunt aliquae personarum classes quibus, ob activitatem quam in consortio civili exercent, vel ob alia rerum adiuncta, saepe observantia legis de abstinentia et de ieiunio onus sit nimis grave.

Accedunt et adiuncta temporis. Jam ipse Codex enumerat tempora magni populi concursus ob diem festum celebrandum et tempus publicae valetudini infestum. Sed sunt et bella, quae aliquibus vel pluribus nationibus observantiam legis de abstinentia et de ieiunio valde difficilem reddunt.

Hisce gravibus rationibus precibusque Ordinariorum locorum commota, Ecclesia legem de abstinentia et de ieiunio moderatur indultis sive generalibus sive particularibus, quae super ipsa lege dispensationes varias concedunt, pro variis locorum, morum et personarum adiunctis.

10. Indulta quaevis ab Ecclesia conceduntur semper per aliquod tempus, quo elapso decidunt, et renovantur solum si eadem adiuncta, ob quae concessa sunt, permaneant.

Indulta generatim non mutant obiectum legis [24] neque modum quo lex observanda est; sed solum minuunt dies quibus abstinentia, vel ieiunium, vel utraque servanda sunt. Dierum autem diminutio varia est pro diversis rerum adiunctis.

Generatim dierum diminutio maxima est pro aliquibus classibus personarum alicuius dioecesis vel nationis [25], ceteris fidelibus

---

[24] Sunt tamen exceptiones. Ita Germaniae universae die 27 januarii 1927 concessum est indultum ad quinquennium, quod postea, elapso tempore, renovatum est, quo, inter alia, ieiunantibus indulgebatur usus carnis etiam in collatione vespertina; et omnibus diebus, excepta feria VI in Parasceve, permittebatur fidelibus iusculum ex carne. Cfr. VERMEERSCH, l. c., 809,

[25] Classes personarum quibus generatim maiores dispensationes conceduntur in diversis nationibus sunt: operarii in genere eorumque familiae (in Statibus Foederatis Am. Sept.); operarii addicti navibus, viis ferreis, laboribus gravibus in genere, cum suis familiis, et etiam operarii in fabricis operam praestantes (in nationibus Europae orientalis generatim); lanii et caupones cum suis familiis, et omnes qui victum sumere debent in cauponis, hospitiis, extra domum suam in genere; qui sumere debent victum apud familias in quibus cibi vulgo « di magro » non apponuntur, vel in domibus acatholicorum; qui sunt in itinere vel in balneis; milites generatim, et in specie milites ordini publico tutando vel carceribus custodiendis addicti, cum ipsis captivis et suis familiis; in Germania etiam qui victum pro tota die secum ad locum ubi laborant afferre debent, et familiae apud quas viri militares aluntur; alicubi etiam pauperes.

eiusdem diocesis vel nationis adstrictis ad servandam legem omnibus diebus in Codice Juris Canonici praescriptis.

At ubi climatis, morum vel temporum adiuncta suadent, dies diminuuntur etiam pro omnibus fidelibus alicuius paroeciae, dioecesis vel nationis [26], vel observantia legis transfertur de uno die (frequenter sabbato) in alium diem (frequenter feriam quartam) eiusdem hebdomadae [27]..

Indulta tamen semper relinquunt aliquot dies, quibus lex ab omnibus servanda est, et nullos fideles, ne peculiares personarum classes quidem, dispensant a legis observantia omnibus diebus in C. J. C. statutis [28]. Pia enim mater Ecclesia, dum, ut supra notavimus, consulendum sibi ducit bono animarum, quod postulat ne humeris humanis onera nimis gravia et difficilia imponantur, simul sollicita est et de jure divino observando, quod postulat ut homines omnes mortificationem exerceant necessariam ad tentationes vincendas vel iram divinam placandam.

11. Si prae oculis habeantur indulta quae ab Ecclesia concessa sunt fidelibus ritus latini post promulgatam in Codice Juris Canonici legem de abstinentia et de ieiunio, et, renovata continuo, vim habuerunt usque ad annum 1939 circiter, haec de statu observantiae legis ipsius deduci posse videntur [29].

---

[26] Ita e. g. alicubi dispensatur abstinentia et ieiunium diebus quibus occurrunt solemnitates civiles; vel celebrantur nundinae et solemnitates sive ecclesiasticae, sive civiles cum magno populi concursu; vel celebrantur convivia funeraria aut festa Patroni, dedicationis Ecclesiae; vel celebratur festum aliquod tamquam de praecepto; in Germania dispensatur ieiunium et abstinentia quando fit magna processio aestiva per agros.

[27] In Canada et Statibus Foederatis Am. Sept. abstinentia et ieiunium Sabbati Sancti et Sabbatorum Quattuor Temporum transferuntur in feriam quartam eiusdem hebdomadae; in Belgio et Hibernia transferuntur ieiunium et abstinentia Sabbatorum Quattuor Temporum, et in aliis locis ieiunium et abstinentia pervigilii Nativitatis D. N. J. C. transferuntur in Sabbatum Quattuor Temporum Adventus, vel cessant hora quinta post meridiem.

Circa quam translationem, ad dubium « An et qua die, tempore Quadragesimae peregrini teneantur servare abstinentiam sabbati in locis ubi, ex speciali dispositione Sanctae Sedis, eadem abstinentia feria quarta servari debet » S. Congregatio Concilii, die 9 febr. 1924, respondit: « Teneri alterutra die ad libitum, remoto tamen scandalo ». Cfr. Sartori, l. c., pag. 10.

[28] Ita abstinentia et ieiunium feriae VI in Parasceve nullibi dispensantur; rarissime dispensantur abstinentia et ieiunium feriae IV Cinerum et pervigilii Nativitatis D. N. J. C.

[29] Generatim indulta sive particularia, sive generalia a Sancta Sede concessa nationibus Europae, Hispania et Lusitania exceptis, continent dispensationes solummodo pro peculiaribus personarum classibus, quas supra memoravimus.

Pro Hispania et Lusitania concessum est indultum sic dictum *Bulla Cruciata* (pro Hispania cfr. *AAS*, 1929, pag. 19, pro Lusitania cfr. *AAS*, 1915, pag. 549), quod renovatum est, paucis mutatis, et adhuc viget, quodque continet pro omni-

12. Lex abstinentiae.

a) Feria VI in Parasceve *viguit* pro omnibus fidelibus in omnibus nationibus.

b) Sabbato Sancto *viguit* pro omnibus fidelibus in Gallia, Anglia, Italia, Hibernia, Polonia, Romania; *dispensata* est pro aliquibus personarum classibus in Austria, Cecoslovachia, Germania, Ungaria; *translata est* in feriam quartam eiusdem hebdomadae in Canada et Statibus Foederatis Am. Sept., *dispensata est* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

c) Sabbatis Quadragesimae *viguit* pro omnibus fidelibus in Gallia, Anglia, Italia, Polonia, Romania; *viguit* solo primo Sabbato in Hollandia; *translata est* in feriam IV eiusdem hebdomadae in Belgio, Hibernia, Canada et Statibus Foederatis Am. Sept.; *dispensata est* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

d) Feriis Sextis Quadragesimae *dispensata est* pro aliquibus personarum classibus in Austria, Belgio, Cecoslovachia, Germania, Jugoslavia, Hollandia, Ungaria; *viguit* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

e) Feria IV Cinerum *dispensata est* pro omnibus fidelibus in Lusitania et Hispania; *dispensata est* pro aliquibus personarum classibus in Austria, Belgio, Cecoslovachia, Germania, Jugoslavia Hollandia, Helvetia, Ungaria; *viguit* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

f) Sabbato Quattuor Temporum *viguit* in Gallia, Anglia, Italia, Hibernia, Polonia, Romania, Canada; *dispensata est* pro aliquibus classibus personarum in Belgio et Statibus Foederatis Americae Sept.; *dispensata est* pro omnibus fidelibus nationum ceterarum Ecclesiae latinae, juri communi subiectarum.

g) Feria IV Quattuor Temporum idem ac Sabbato quatuor temporum.

f) Feria IV Quattuor Temporum *viguit* pro omnibus fidelibus in Gallia, Anglia, Italia, Hibernia, Polonia, Lusitania, Romania, Hispania, Canada, Statibus Foederatis Am. Sept.; *dispensata*

---

bus fidelibus dispensationem ab abstinentia omnibus sabbatis Quadragesimae et Quattuor Temporum, nec non feriis sextis omnibus extra Quadragesimam et Quattuor Tempora.

In nationibus Americae Latinae viguit plerumque indultum generale a S. Congregatione Concilii concessum anno 1919, (*AAS.* 1919, pag. 462), quodque renovatum est postea pro singulis nationibus, paucis mutatis. Indultum continet easdem dispensationes quas *Bulla Cruciata*, addita dispensatione ab abstinentia etiam feriis sextis Quattuor Temporum.

est pro aliquibus classibus personarum in Austria, Belgio, Cecoslovachia, Germania, Jugoslavia, Hollandia, Ungaria; *dispensata est* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

g) Feriis Sextis ceteris *viguit* pro omnibus fidelibus in Gallia, Anglia, Italia, Hibernia, Polonia, Romania, Canada, Statibus Foederatis Am. Sept.; *dispensata est* pro aliquibus classibus personarum in Austria, Belgio, Cecoslovachia, Germania, Hollandia, Helvetia, Ungaria; *dispensata est* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

h) Vigiliis Pentecostes et Deiparae in Coelum Assumptae *dispensata est* pro aliquibus personis in Belgio, Jugoslavia, Hollandia, Helvetia, Ungaria, Statibus Foederatis Am. Sept.; *dispensata est* pro omnibus fidelibus in Austria, Cecoslovacchia, Germania, Rep. Dominicana, Haiti; *viguit* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

i) Vigilia Omnium Sanctorum *dispensata est* pro aliquibus personarum classibus in Belgio, Hollandia, Helvetia, Ungaria; *dispensata est* pro omnibus fidelibus in Austria, Cecoslovachia, Germania, Jugoslavia, Hispania, Rep. Dominicana, Haiti, Insulis Filippinis; *viguit* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

1) Vigilia Nativitatis D. N. J. C. *dispensata est* pro omnibus fidelibus in Germania, Rep. Dominicana, Haiti, Insulis Filippinis; *dispensata est* pro aliquibus personarum classibus in Austria, Belgio, Cecoslovachia, Hollandia, Canada; *viguit* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

13. Lex ieiunii:

a) Feria VI in Parasceve *viguit* pro omnibus fidelibus in omnibus nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

b) Sabbato Sancto *viguit* pro omnibus fidelibus in Gallia, Belgio, Anglia, Italia, Hibernia, Polonia, Lusitania, Romania, Hispania, Ungaria, Canada et Statibus Foederatis Am. Sept.; *dispensata est* pro aliquibus classibus personarum in Austria, Germania, Jugoslavia, Hollandia; *dispensata est* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

c) Aliis Sabbatis Quadragesimae *viguit* pro omnibus fidelibus in Belgio, Gallia, Anglia, Italia, Polonia, Lusitania, Romania, Hispania, Canada et Statibus Foederatis Americae Sept.; *commendata est* omnibus fidelibus in Austria; *translata est* ad feriam IV eiusdem hebdomadae in Hibernia; *dispensata est* pro aliquibus classibus fidelium in Germania, Jugoslavia, Hollandia et Ungaria;

dispensata est pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

d) Aliis feriis sextis Quadragesimae *dispensata est* pro omnibus fidelibus in Cecoslovachia et Haiti; *commendata est* omnibus fidelibus in Austria; *dispensata est* pro aliquibus classibus personarum in Germania, Jugoslavia, Hollandia et Ungaria; *viguit* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

e) Feria IV Cinerum *dispensata est* pro omnibus fidelibus in Haiti; *dispensata est* pro aliquibus classibus personarum in Austria, Cecoslovachia, Germania, Jugoslavia, Hollandia, Ungaria; *viguit* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

f) Ceteris feriis Quadragesimae *commendata est* omnibus fidelibus in Austria; *dispensata est* pro omnibus fidelibus in Cecoslochia, Helvetia, Rep. Dominicana, Haiti; *viguit* pro omnibus fidelibus in Gallia, Belgio, Anglia, Italia, Hibernia, Polonia, Romania, Canada, Statibus Foederatis Am. Sept.; *dispensata est* pro aliquibus classibus personarum in Germania, Jugoslavia, Hollandia Ungaria; *observata est* solis feriis quartis in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

g) Sabbatis Quattuor Temporum *viguit pro omnibus fidelibus* in Belgio, Gallia, Anglia, Italia, Hibernia, Polonia, Romania, Hispania, Canada et Statibus Foederatis Am. Sept.; *dispensata est* pro aliquibus classibus personarum in Germania, Hollandia, Ungaria; *dispensata* est pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

h) Feriis Sectis Quattuor Temporum *commendata est* omnibus fidelibus in Austria; *dispensata est* pro aliquibus classibus personarum in Germania, Jugoslavia, Hollandia, Ungaria; *dispensata est* pro omnibus fidelibus in Cecoslovachia, Lusitania, Haiti; *viguit* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae Latinae juri communi subiectis.

i) Feriis Quartis Quattuor Temporum *viguit* pro omnibus fidelibus in Belgio, Gallia, Anglia, Italia, Hibernia, Polonia, Romania, Hispania, Canada, Statibus Foederatis Am. Sept.; *dispensata est* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

l) Vigiliis Pentecostes, Deipare in Coelum Assumptae *viguit* pro omnibus fidelibus in Belgio, Gallia, Anglia, Italia, Hibernia, Polonia, Lusitania, Romania, Hispania, Helvetia, Canada, Statibus Foederatis Am. Sept.; *dispensata est* pro aliquibus classibus

personarum in Germania, Jugoslavia, Hollandia, Ungaria; *dispensata est* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

m) Vigilia Omnium Sanctorum *viguit* pro omnibus fidelibus in Belgio, Gallia, Anglia, Italia, Hibernia, Polonia, Lusitania, Romania, Helvetia, Canada, Statibus Foederatis Am. Sept.; *dispensata est* pro aliquibus classibus personarum in Germania, Hollandia, Ungaria; *dispensata est* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

n) Vigilia Nativitatis D. N. J. C. *viguit* pro omnibus fidelibus in Belgio, Gallia, Anglia, Italia, Hibernia, Jugoslavia, Polonia, Lusitania, Romania, Hispania, Helvetia, Ungaria, Canada, Statibus Foederatis Am. Sept.; *dispensata est* pro aliquibus classibus personarum in Austria, Cecoslovacchia, Germania, Hollandia; *dispensata est* pro omnibus fidelibus in ceteris nationibus Ecclesiae latinae juri communi subiectis.

III. Lex de abstinentia et ieiunio durante bello 1939-1945.

14. Anno 1939 ortum est bellum inter Germaniam et Poloniam; at mox bellum alias plures nationes incendit, et condiciones annonarias non solum nationum bellum gerentium, sed et ceterarum toto fere orbe terrarum miseras effecit. Quapropter pia Mater Ecclesia, super turbam suorum filiorum miserita, sicut et in aliis similibus rerum adiunctis fecerat [30], legem de abstinentia et de ieiunio relaxavit, plures concedendo dispensationes generales, eo largiores quo maiores fiebant rerum difficultates.

15. Jam prima medietate anni 1939 praeceptum civilis Auctoritatis nationis italicae carnes venire vetuit in Italia feriis quintis et sextis hebdomadae. Quo factum est ut in hebdomada Quattuor Temporum proxime sequentium fideles abstinere a carnibus cogerentur per quattuor dies consecutivos, nempe feriis IV, V, VI et sabbato. Tunc Sacra Congregatio Concilii legem de abstinentia et ieiunio aliquantum relaxavit per dispensationem generalem, in Italia valituram, editam in diario *L'Osservatore Romano* diei 12 sep-

---

[30] Jam perdurante bello in Europa annis 1914-1918 gesto, S. Congregatio Concilii indultum generale concesserat (die 29 ianuarii 1917, *AAS*, 1917, pag. 84), quo fidelibus omnium nationum bellum gerentium in Quadragesima anni 1917, permissum est ut obligationem abstinentiae in alium diem ad libitum eiusdem hebdomadae transferre valerent, firma obligatione abstinentiae omnibus feriis sextis, nec non feria IV Cinerum et feria IV Quattuor Temporum. Quod indultum prorogatum est anno 1918 et extensum est etiam ad Quattuor Tempora autumni et hiemis eiusdem anni.

tembris anni 1939: « *Su richiesta di Ecc.mi Ordinari d'Italia ed in vista delle presenti circostanze, la Sacra Congregazione del Concilio, nella ricorrenza delle Quattro Tempora del corrente anno ha dispensato in Italia dall'astinenza e dal digiuno nei giorni di sabato ed ha trasferito la stessa legge dai giorni di mercoledì ai giovedì* ». Quae dispensatio toto anno 1939 valitura erat.

16. Exeunte autem anno 1939, iisdem condicionibus perdurantibus, Sacra Congregatio Concilii maiorem dispensationem in Italia pro anno 1940 concessit, eamque in praedicto diario *L'Osservatore Romano* diei 23 decembris publici juris fecit: « *Attese le richieste di Ecc.mi Vescovi d'Italia e la permanenza delle circostanze di cui al precedente comunicato del 12 settembre scorso, la Sacra Congregazione del Concilio, nella ricorrenza delle Quattro Tempora e della Quaresima del prossimo anno 1940 ha dispensato in Italia dalla legge dell'astinenza e del digiuno nei giorni di sabato e ha trasferito il precetto del mercoledì delle Tempora al giovedì seguente* ».

17. Perdurante anno 1940 condiciones annonariae in Italia peiores factae sunt. Inopia rei frumentariae, difficultas ciborum comparandorum sive ob tesseram sive ob praetium, quod in dies maius fiebat, dum poenitentiam necessariam maiori parti fidelium imponebat, periculum inducebat quod, data opportunitate carnes habendi diebus abstinentiae, fidelibus occasio praeberetur legem violandi. Hisce rationibus precibusque Ordinariorum permota, Sacra Congregatio Concilii die 20 decembris anni 1940 sequentem dispensationem concessit et in diario *L'Osservatore Romano* publici juris fecit: « *Si rende noto che, attese le speciali circostanze del momento, la Santità di Nostro Signore Pio Papa XII f. r. si è benignamente degnato di dispensare in Italia dalla legge dell'astinenza e del digiuno per l'anno 1941, ferma restando tale legge per il mercoledì delle Ceneri e il Venerdì Santo. Si esortano però vivamente i fedeli tutti, e in speciale modo il Clero secolare, i religiosi e le religiose, a compensare in qualche modo con volontari esercizi di cristiana mortificazione ed espiazione, e con moltiplicare le opere di bene, soprattutto della carità verso i sofferenti e i bisognosi, unendosi con la preghiera alle sante intenzioni del Sommo Pontefice* ».

18. Eadem dispensatio a Sacra Congregatione Concilii prorogata est in Italia per totum annum 1942 nuntio diei 7 decembris 1941 in diario *L'Osservatore Romano* eiusdem diei publici juris facto. Quae dispensatio, hucusque, pro sola Italia valida erat.

19. At condiciones annonariae miserae factae sunt etiam in aliis nationibus, teterrimo bello jam fere ubique terrarum gras-

sante. Ceterae nationes orbis catholici regebantur adhuc lege in Codice statuta et indultis quae supra memoravimus. Necessitas erat et eis consulendi, sicut pro Italia factum fuerat.

Quapropter Sacra Congregatio pro Negotiis Extraordinariis Ecclesiasticis, die 19 decembris 1941, sequens Decretum edidit [31]:

« *Attentis peculiaribus hodiernis rerum adiunctis, Ss.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. XII omnibus Ordinariis locorum cuiuslibet ritus, quamdiu praesens bellum perdurabit, benigne concedere dignatus est, ut, pro suo prudenti arbitrio, in territorio suae jurisdictionis, indulgeant generalem dispensationem super lege abstinentiae et ieiunii ecclesiastici, in favorem etiam religiosorum et religiosarum exemptionis privilegio utentium.*

Firma tamen maneat lex abstinentiae et ecclesiastici ieiunii pro fidelibus ritus latini, Feria IV Cinerum et Feria VI in Parasceve, pro fidelibus alius ritus duobus diebus ab eorum Ordinariis statuendis.

Ordinarii autem locorum, qui supradictam dispensationem concedunt, fideles omnes hortentur, praesertim vero Clerum saecularem ac regularem necnon sacrarum Virginum familias, ut ii christianae mortificationis et expiationis voluntariis exercitiis, bonis operibus potissimum erga aegros ac inopes vacantes, et ad mentem Summi Pontificis fervidas Deo preces fundentes, aliquo modo indulti facilitates compensare valeant.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Ex Aedibus Vaticanis, die 19 mensis Decembris a. 1941.

A. Card. Maglione, a Secretis Status
S. Congregationis pro Neg. Eccles. Extraord. Praef.

20. E quo Decreto haec deducuntur:

a) A Summo Pontifice factultas fit Ordinariis locorum cuiuslibet ritus dispensationem generalem concedendi super lege abstinentiae et ieiunii, solum exceptis duobus diebus, qui pro fidelibus ritus latini sunt Feria IV Cinerum et Feria VI in Parasceve, pro fidelibus vero alius ritus duo alii dies ab eorum Ordinariis statuendi;

b) Facultas conceditur, qua praedicti Ordinarii locorum possunt etiam non uti, cum usus eius prudenti ipsorum arbitrio sit relictus;

c) Facultas conceditur Ordinariis locorum, proinde omnibus qui in canone 198, § 1 enumerantur, exceptis Superioribus Maioribus in religionibus clericalibus exemptis (can. 198, § 2).

---

[31] *AAS*, 1941, pag. 516.

b) Facultas conceditur, qua praedicti Ordinarii locorum possunt praedictam dispensationem generalem concedere etiam subditis Superiorum Maiorum religionum clericalium exemptarum, id est omnibus religiosis utriusque sexus privilegio exemptionis utentibus.

e) Duratio facultatis limitatur per verba « quamdiu praesens bellum perdurabit ». Haec verba tamen non sunt intelligenda pro duratione belli usque ad cessationem hostilitatum, sed potius usque ad cessationem condicionum bello productarum, cum Decretum revocatum sit solum anno 1949, hostilitates vero jam anno 1945 cessaverint.

f) Hortatio adiungitur ut Ordinarii locorum, qui facultate praedicta uti voluerint, fideles omnes hortentur, praesertim vero Clerum saecularem, religiosos et religiosas ad compensandas aliquo quo modo indulti facilitates voluntariis exercitiis christianae mortificationis et expiationis, bonis operibus erga aegros ac inopes, et fervidas preces Deo funendo ad mentem Summi Pontificis.

IV. Partialis Restauratio legis de abstinentia et ieiunio.

21. Anno 1949 adversa rerum adiuncta quae legem abstinentiae et ieiunii praedicto modo relaxandam in universa Ecclesia suaserunt, fere ubique terrarum remissa sunt. Cessata ergo ratione generalis relaxationis, Ecclesia legi restaurandae consuluit, etiam precibus Ordinariorum permota, nec non propitio adveniente Anni Sancti tempore, quod fideles omnes ad poenitentiam et sanctificationem sui ipsius animarum vocabat.

22. Partialis restauratio legis pro fidelibus omnibus orientalis ritus, etiam ad Ordines et Congregationes religiosas pertinentibus, facta est per Decretum Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali sub die 28 januarii a. 1949 editum, (*AAS*, 1949, pag. 31) [32].

---

[32] Apud Orientales abstinentia est jure communi saltem per 180 dies in anno servanda. Diebus ieiunii abstinentia ista imponit xerophagiam, quae prohibet carnem, pisces, ova, lacticinia, oleum, vinum. Abstinentia minus rigorosa prohibet carnem, ova et lacticinia et interdum pisces. Monachi numquam utuntur carnibus, et, exceptis paucis diebus, tenentur xerophagia.

Indultum S. C. pro Negotiis Eccl. Extr. diei 19 decembris 1941 Ordinariis Orientalium concessit facultatem dispensandi super lege de abstinentia et ieiunio omnibus diebus praescriptis, exceptis duobus tantum diebus ab ipsis Ordinariis determinandis

Partialis autem restauratio facta est Decreto S. C. pro Ecclesia Orientali diei 28 ianuarii 1949, quo statutum est: « a prima die Magnaé Quadragesimae et donec aliter provideatur, abstinentiae et ieiunii servetur - si *et prout viget in singulis ritibus* - his diebus: I. *Abstinentia:* singulis feriis sextis; II. *Abstinentia et ie*

23. Pro fidelibus autem ritus latini, etiam ad Ordines et Congregationes Religiosas pertinentibus, restauratio facta est per Decretum a Sacra Congregatione Concilii sub eadem die edito (AAS, 1949, pag. 32) ac supra relatum.

24. Circa quod Decretum haec notanda veniunt.

a) *Obiectum Decreti* est coarctare facultatem Ordinariis locorum concessam decreto S. Congregationis pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis diei 19 dicembris a. 1941. Praesens decretum respicit solam Ecclesiam latinam, in qua, a die prima Quadragimae anni 1949, in diocesibus quarum Ordinarii fruiti sunt facultate concessa decreto anni 1941, ita lex de abstinentia et ieiunio moderatur: *abstinentia* servanda est singulis feriis sextis totius anni, abstinentia et ieiunium simul servanda sunt feria IV Cinerum, feria VI in Parasceve, pervigiliis Deiparae in Coelum Assumptate et Nativitatis Domini Nostri J. C.

b) *Auctor novae moderationis legis* est ipse Summus Pontifex. Nemo alius enim poterat coarctare facultatem ampliorem ab ipso Summo Pontifice concessam. Et proinde, decretum, licet sit a Sacra Congregatione Concilii promulgatum, vim suam exercet etiam in territoriis missionum, quae S. Congregationi de Propaganda Fide sunt subiecta, et etiam pro Ordinibus et Congregationibus religiosis omnibus, etiam exemptionis privilegio fruentibus, quae S. Congregationi de Religiosis subiecta sunt.

c) *Comparatio decreti cum observatia legis de abstinentia et ieiunii ante bellum.* Si nova moderatio legis de abstinentia et ieiunio comparetur cum lege ipsa sicuti est in Codice J. C. promulgata, decretum evidenter continet dispensationes adhuc valde latas. Lex enim de abstinentia et ieiunio dispensata manet omnibus sabbatis Quadragesimae et Quattuor Temporum et omnibus feriis quartis Quattuor Temporum, et pervigiliis Pentecostes et Omnium Sanctorum; ieiunium autem dispensatum manet omnibus feriis Quadragesimae, exceptis feria quarta Cinerum et feria IV in Parasceve.

Si autem nova moderatio comparetur cum indultis, sive generalibus, sive particularibus, quibus complures dioceses et nationes Ecclesiae latinae gaudebant ante bellum, nova moderatio legis de abstinentia et ieiunio fere semper, saltem pro aliquibus classibus personarum, longe severior est.

Namque, si paucae nationes excipiantur, quae legem communem de abstinentia et ieiunio servabant absque ullo indulto, pars longe maior dioecesum et nationum Ecclesiae latinae indultis gau-

iunium: 1) prima die Magnae Quadragesimae; 2) feria sexta Maioris Hebdomadae; 3) pervigilia Nativitatis D. N. J. C., vel, pro fidelibus byzantini ritus, pervigiliis Epiphaniae D. N. J. C.; 4) pervigiliis Assuptionis B. M. V. ».

debant quae vel aliquot classes personarum ab observantia legis dispensabant fere omnibus diebus in Codice J. C. praescriptis (excepta feria VI in Parasceve et aliquo alio die), vel omnes fideles ab observantia legis de abstinentia dispensabant omnibus feriis sextis extra Quadragesimam (sicut in Hispania et Lusitania), et aliquando etiam feriis sextis Quattuor Temporum (sicut in nationibus Americae meridionalis).

Quare, circa interpretationem decreti S. Congregationis Concilii oritur quaestio utrum nova legis de abstinentia et ieiunio moderatio valeat etiam pro dioecesibus et nationibus, quae ante bellum indultis largioribus fruebantur.

d) *Interpretatio decreti.* Praemittimus in primis dispensationem generalem decreto S. C. pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis concessam anno 1941 non fuisse *obligatoriam*, sed liberam (italice *facoltativa*), quatenus Ordinarii locorum poterant ipsa uti vel non. In dioecesibus ergo, quarum Ordinarii praedicta facultate usi non sunt, sed dispensationibus suorum indultorum semper fruiti sunt, nunc eadem indulta, si renovata opportuno tempore fuerint, valida manent et decretum S. Congregationis Concilii nullam vim habet. Quaestio igitur coarctatur ad dioeceses et nationes, quarum Ordinarii, durante bello, usi sunt facultate concessa decreto S. Congregationis pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis anno 1941.

Si indulta, quibus Ordinariis locorum dabatur facultas concedendi ante bellum maiores dispensationes quam quae praesenti decreto S. Congregationis Concilii conceduntur, adhuc valida sunt ob non elapsum tempus per quod concessa sunt, Ordinarii locorum possunt eadem facultate frui. Indulta enim illa nunquam revocata sunt. Non revocavit illa, sed potius ampliavit, decretum S. Congregationis pro Negotiis Eccl. Extraord. anni 1941; nec revocat illa praesens S. Congregationis decretum, quod solum coarctare voluit amplissimam dispensationem concessam a decreto S. Congregationis pro Negotiis Eccl. Extr., et nullo modo intendit immutare vel abrogare favorabiliora indulta a Sancta Sede concessa ante bellum et adhuc valida. Haec enim indulta concessa sunt ob particularia sive locorum, sive personarum rerum adiuncta, quae nullam cum bello connexionem habebant et quae etiam post bellum immutata perdurant. Adde insuper quod in decreto nihil dicitur de abrogatione illorum indultorum. Et ipse Codex, cum legem de abstinentia et ieiunio pro tota Ecclesia latina promulgavit, nihil immutare voluit de indultis particularibus (can. 1253).

Si autem indulta praebellica non sunt amplius valida, quia tempus per quod concessa sunt elapsum est, et eadem indulta non

sunt renovata, quia Ordinarii locorum, praesto habentes amplissimam facultatem a decreto S. Congregationis pro Negotiis Eccl. Extr. factam, renovationem non petierunt, tunc ipsis locorum Ordinariis sola manet facultas praesenti decreto S. Congregationis Concilii concessa, et uti nequent indultis praebellicis, nisi haec renoventur a legitima Auctoritate.

25. Nova legis de abstinentia et de ieiunio moderatio perdurabit « donec aliter provideatur », sicut expresse dicitur in decreto S. Congregationis Concilii diei 28 ianuarii a. 1949. Quod evidenter innuit novam moderationem non esse definitivam et posse, futuris dispositionibus, immutatam iri. Donec ergo novae dispositiones non promulgentur, lex de abstinentia et de ieiunio in Ecclesia latina decreto S. Congregationis Concilii diei 28 ianuarii a. 1949 ordinatur, sensu et limitibus quos supra indicavimus.

Alafridus Parisella
a studiis S. Congr. Concilii

S. CONGREGATIO RITUUM

DECRETUM

DE LAMPADE SS.MI SACRAMENTI ET DE LUMINIBUS IN SACRIS FUNCTIONIBUS ADHIBENDIS.

Decreto diei 13 Martii anno 1942 Sacra haec Congregatio, plurimorum Ordinariorum instantiis morem gerens, indultum quod anno 1916, Europaeo bello saeviente, praecarie concesserat ita prorogavit, ut eorum prudenti iudicio, peculiaribus novi belli condicionibus consideratis, facultatem remisit « ubicumque oleum olivarum vel cera apum vel penitus deficiant vel sine gravi incommodo et dispendio haberi nequeant » ibi lampas Ss.mi Sacramenti aliis oleis quantum fieri potest vegetabilibus, nutriri possit, ultimo autem loco etiam lux electrica adhibeatur. Concessit quoque Sacra haec Congregatio ut deficiente cera possit reduci numerus candelarum pro singulis sacris functionibus rite praescriptus, et huic cereorum deficientiae sufficiantur, usque ad candelarum numerum requisitum, alia lumina, etiam electrica.

Verum etsi modo nec cera nec oleum deficiant, perpenso tamen gravi horum pretio, Sacra haec Congregatio indultum hoc ita moderari intendit, ut firmo adhuc manente indulto pro lampade Ss.mi Sacramenti concesso, pro Missae privatae celebratione duae candelae cereae adhibentur, quatuor saltem pro solemni seu cantata, item quatuor pro solemni expositione Ss.mi Sacramenti, suppleto maiori numero requisito aliis luminibus.

Ceterum Rev.mos Ordinarios hortatur ut, quam citius fieri potest, veneranda saecularis traditio instauretur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 18 Augusti 1949.

+ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Praefectus.*

+ A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

(*A. A. S.* vol. XXXXI p. 476).

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

DE MATRIMONIO PUTATIVO

D. An sub verbo « *celebratum* » can. 1015 § 4 intelligi debeat dumtaxat matrimonium coram Ecclesia celebratum.

R. Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 26 ianuarii 1949.

A. Card. Massimi, *Praeses.*

A. Coussa, *a Secretis.*

(*A. A. S.* vol. XXXXI p. 158)

ADNOTATIONES

1. Praesenti Pont. Commissionis ad Codices canones authentice interpretandos resolutioni ansam praebuit quaestio apud S. C. de Religiosis agitata (Prot. N. 10637/47). Agebatur de candidato ad novitiatum in Religione clericali, nato tamen ex matrimonio matris catholicae cum patre haeretico, civiliter tantum, bona tamen fide a parte haeretica, contracto.

2. Ut ratio dubii melius appareat, aliqua *in iure* praenontanda sunt.

Iuxta canonem 542, 2°: « Illicite ad novitiatum admittuntur: Ad sacerdotium in Religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento ». Ad normam autem can. 984: « Sunt irregulares ex defectu: 1° Illegitimi... ».

Ex canone 1114: « Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel *putativo* ». Unde nati ex matrimonio *putativo*, utpote legitimi, ex hoc capite Religionem ingredi non prohiberentur.

3. Attamen magna hic quaestio oriebatur: matrimonium *civile* i. e. non coram Ecclesia a partibus formae canonicae obligatis, bona fide celebratum, estne matrimonium *putativum canonicum?* Doctores enim non omnino erant inter se concordes in interpretando canone 1015 § 4.

a) Iuxta aliquos necessaria dicenda non esset celebratio coram Ecclesia seu forma et figura matrimonii canonici; sufficeret

bona fides ad hoc ut *putativum* dici posset, quocumque tandem modo *celebratum fuerit* [1]

b) Pro aliis requiritur quidem, ex regula generali, forma seu figura matrimonii canonici, i. e. celebratio coram Ecclesia; exceptione tamen facta in favorem matrimonii inter partem catholicam et acatholicam vel infidelem, pro quibus sufficeret forma iuxta mores regionum ubi habitant [2].

c) Alii denique absolute et pro omnibus qui formae canonicae ligantur exigunt celebrationem coram Ecclesia ut matrimonium qualitatem et effectus canonicos matrimonii putativi adipisci valeat [3].

Merito igitur S. C. de Religiosis abstinuit a decisione quae sapere poterat authenticam Codicis I. C. interpretationem generalem, dispensationemque tantum, in casu sibi proposito, ad cautelam, concedendam esse aestimavit a lege can. 542, 2°, rem de cetero transmittendo ad Pontificiam C. I. pro opportuna authentica interpretatione.

4. Commissio vero Interpres, cum tota dubitandi ratio in verbis can. 1015 § 4 « *celebratum fuerit* » reponenda esset merito dubium generali forma, pro more, sibi proposuit resolvendum, nempe: « An sub verbo *celebratum* can. 1015 § 4 intelligi debeat dumtaxat matrimonium coram Ecclesia celebratum »; cui respondit: *Affirmative;* ita ut matrimonia personarum legi canonicae de forma subiectarum, coram Ecclesia non celebrata, sed mere civiliter vel quocumque modo clandestine, considerari non debeant matrimonia *putativa,* ad effectus huius generis matrimonii (can. 1114, 1116, 1078).

5. *Motiva resolutionis.* Si quae coniicere nobis licet motiva resolutionis, haec praecipue fuisse videntur.

1. *Criterium interpretationis in can. 6, 2° 3° statutum.* « Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretitionibus, sunt aestimandi » (c. 6, 2°). « Canones qui ex parte tantum

---

[1] Cfr. Wernz-Vidal, *Ius Canonicum*, vol. V, n. 610. - De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio,* ed. 4 (1927), n. 158. - Regatillo, *Ius Sacramentarium*, vol. II (1946), n. 213. - Chelodi-Ciprotti, *Ius Canonicum de Matrimonio*, ed. 5 (1947), n. 9 et 150, a). - Citantur pro hac sententia etiam Triebs, Piscetta-Gennaro aliique.

[2] Ita Vermeersh-Creusen, *Epitome Iuris Can.*, vol. II, n. 277, p. 193-194.

[3] Capello, *De Sacramentis*, III (1933), n. 746. - Garcia Bayon, *De Matrimonio*, II, n. 437. - Miguelez, *Codigo de Derecho Canonico*, bilingue, comm. ad can. 1015, § 4. - Gasparri, *De Matrimonio*, ed post Codicem (1932), I, n. 47. Eius opinio magni facienda est, cum ante Codicem opinionem diversam sustinuerit (cfr, infra in textu, n. 5, 1, a). - Coronata, *Inst. I. Can., De Sacramentis*, III (1946). n. 30, e).

cum veteri iure congruunt, qua congruunt ex iure antiquo aestimandi sunt... » (ib., 3°).

a) Porro *ius praecodiciale* atque *probatae auctorum interpretationes* necessitatem formae celebrationis canonicae (i. e. coram Ecclesia) pro matrimonio putativo canonico constanter retinuerunt.

Inter fontium textus conferri ad rem possunt Cap. 2, X, IV, 17; Cap. 11, X, IV 17; Cap. 14, X, IV, 17; *Conc. Trid.* sess. XXIV, c. V de Reform. matr.

Ut testes universalis doctrinae consulere sufficiat SCHMALZ-GRUEBER, WERNZ, GASPARRI, BALLERINI-PALMIERI, BUCCERONI [4].

b) Revera WERNZ et GASPARRI exceptionem aliquam admittebant in favorem catholicae partis quae contraheret cum infideli vel haeretica, ita nempe ut pro his sufficeret celebratio *iuxta mores regionum* ubi habitabant [5]. Attamen, ex una parte, ut nobis videtur, immerito haec exceptio statuebatur [6], et ex alia, exceptio confirmabat regulam generalem contrariam, quam quidem ipsi WERNZ et GASPARRI recipiebant, ut supra vidimus [7].

Unde merito concludi potest verba « *celebratum fuerit* » can. 1015 § 4, stantes criteriis canonis 6, 2°, 3°, interpretanda esse de celebratione *coram Ecclesia,* qualibet alia celebrationis forma exclusa.

c) Haec conclusio ex eo etiam illustrari potest quod inter fontes can. 1015 § 4 non allegatur instructio S. Officii diei 16 sept. 1824, quae ansam aliquibus Auctoribus praebuerat ad conceptum

---

[4] *Ius ecclesiasticum universum*, tom. VII, pars II, p. 318-319; tom. IV, pars I, tit. 1, n. 235. - WERNZ, *Ius Decretalium,* tom. IV, n. 29. - GASPARRI, *De Matrimonio*, (1904), I, n, 46. - BALLERINI-PALMIERI, *Theologia Mor.*, ed. 3, VI (1900), n. 223, p. 188. - BUCCERONI, *Institutio Theol. mor.*, ed. 6 (1915), IV, n. 188.

[5] In locis citatis in nota praeced.

[6] Ratio exceptionis reponebatur in Instructione S. Officii 16 sept. 1824: « Manifestum est per matrimonia praeterita, *in quibus uti possunt Episcopi vel missionarii facultate sibi ab Apostolica Sede delegata dispensandi*, ut in dubio, intelligi non coniunctiones quascumque etiam fornicarias, sed eas tantummodo quae *iuxta mores regionum* vel infidelium vel haereticorum *formam habent et figuram matrimonii,* habeanturque pro legitimis matrimoniis, quae tamen irrita sunt ob ecclesiasticum impedimentum secundi gradus affinitatis vel consaguinitatis. Huiusmodi porro sunt matrimonia fidelium cum infidelibus, inita absque apostolica dispensatione super cultus disparitate; 2° catholicorum cum haereticis; 3° .... ». (Cfr. GASPARRI, *Fontes*, vol. n. 866 ad 6). - Notetur tamen in documento agi tantummodo de coniunctionibus *quae iuxta mores regionum* formam habent vel figuram matrimonii seu sunt *putativa iuxta mores regionum* (sc. nulliter, sed bona fide iuxta mores regionum inita); non autem dicitur ea matrimonia esse eo ipso *putativa in iure canonico.* Solummodo conceditur ut missionarii possint in his matrimoniis dispensare in quibusdam impedimentis; hoc erat documenti obiectum, et non aliud.

[7] Sub hoc n. 5 litt. a).

matrimonii putativi *canonici* extendendum (litt. b); adducitur e contra declaratio S. Officii diei 4 febr. 1891, quae pro matrimonio putativo canonico supponit formam canonicam [8].

2. *Criterium receptionis legum civilium in Codice I. Can.*

Nemo dubitat formam aliquam externam seu figuram matrimonii necessariam esse ad matrimonium putativum constituendum. Id iam ex ipsis verbis can. 1015 § 4 convincitur: « Matrimonium invalidum dicitur *putativum,* si... *celebratum fuerit* ».

Sed ulterius progredientes, haec forma celebrationis non potest esse civilis aliave non vere canonica. Sane:

a) Receptio iuris civilis in Iure canonico non praesumitur, maxime in rebus quae proxime sacramentorum materiam vel formam proindeque dogmaticam veritatem et effectus supernaturales attingunt. Huiusmodi autem est forma celebrationis matrimonii, seu modus exprimendi consensum matrimonialem. Igitur, in verbis *celebratum fuerit,* minime subintelligenda est forma civilis, sed exclusive forma canonica.

Ceterum, quis dicere audebit Ecclesiam in can. 1015 § 4 recepisse matrimonium quod solemniter *anticanonicum* multoties declaratum est atque damnatum, matrimonium nempe *sic dictum civile* inter eos qui formae canonicae tenentur, et hoc tantummodo ex *nuda bona fide interna* alterutrius ex contrahentibus?

b) Verba cuiuslibet normae iuridicae accipienda sunt in sensu quem habent in Codice seu systemate iuridico in quo continentur. Absonum videretur verba ex. gr. Codicis italici intelligere prout sonant ex. gr. in systemate subiectivo [9], Porro.

---

[8] Agitur de documento ad Vicarium Iaponiae merid. misso. In hoc documento indubio modo supponitur necessariam esse, in ordine ad matrimonium putativum, formam canonicam in iis qui legibus Ecclesiae tenentur. Interrogatur S. Officium de matrimoniis incolarum insulae Kitzuki ex progenie veterum christianorum, qui retinebant latinum precum usum, earum tamen vim ignorabant; baptismum recipiebant, sed de ipsius valore dubitabatur; ethnicorum more vivèbant, eorumque matrimonia, sive propter divortium sive... frequenter dubia remanebant. Responsio fuit: si baptismus fuit certe invalidus, tunc matrimonium fuit validum; nullo aliunde existente impedimento ex iure naturae dirimente. Si baptismus fuit certe validus, aut saltem dubius, « ii subsunt impedimentis etiam iure ecclesiastico dirimentibus, *excepta clandestinitate quae isthinc non viget.* Qui idcirco, si inter se matrimonium inierint, et nullo alio impedimento dirimente ligati fuerint, eorum matrimonium validum censendum est ». - Unde patet in mente S. Officii urgeri forma canonica. Matrimonia ibi clandestina (non publice, coram Ecclesia) inita, approbantur *quia* et *quatenus* ab Ecclesia ibi permissa sunt; alioquin non approbarentur.

[9] Hoc valet de normis seu legibus in quibus recipiatur seu ut aiunt *canonizetur* norma aliqua civilis (Cfr. Ciprotti, *Contributo alla teoria della canonizzazione delle leggi civili* (1941), p. 52 ss.); a fortiori de normis in quibus nihil constet de *canonizatione* alicuius legis civilis.

1. matrimonii nomine nullum aliud in Codice canonico decoratur nisi quod coram Ecclesia celebratum fuerit; adeo ut unioni civili nunquam nomen matrimonii simpliciter concedatur (cfr. can. 188, 5° 646, § 1; 2356; 2388). Pontificia Commissio Interpres in responsione ad can. 1078 diei 12 martii 1929 loquitur da *actu, ut aiunt, civili.*

Iam vero, canon 1015 § 4 simpliciter agit de « *matrimonio* » putativo. Ipsum igitur intelligi debet *canonicum,* non solum ratione effectuum canonicorum (can. 1114, 1116, 1078) sed etiam ratione formae celebrationis quae adhiberi debet;

2) sed praeterea verba *celebratum fuerit,* quae expresse in definitione matrimonii putativi habentur, aliter intelligi non debent ac de celebratione quae *talis* in iure canonico habeatur, sc. de forma canonica ad normam can. 1094 seq. Alioquin innumerae et fere insolubiles quaestiones et difficultates circa formam matrimonii putativi in foro ecclesiastico orirentur[10].

3. *Declaratio Pontificiae Comm. Interpretis diei 12 martii 1929 ad. can. 1078.*

Ex can. 1078: « Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido »; oritur proinde ex matrimonio putativo, quod est species matrimonii invalidi (can. 1015, § 4).

Sed Pontificia Commissio Interpres declaravit impedimentum publicae honestatis non oriri ex matrimonio *civili;* quod intelligendum est, ut videtur, etiam de matrimonio civili bona fide contracto.

Ex hac resolutione, ni multum fallimur, clare deducitur matrimonium civile nunquam esse posse *putativum* canonicum. Sane, si impedimentum publicae honestatis oritur ex quolibet matrimonio putativo, quia oritur ex quolibet matrimonio invalido, et tamen non oritur ex matrimonio *civili,* clarum videtur matrimonium civile esse non posse putativum in iure canonico.

Et revera, sicut impedimentum canonicum publicae honestatis ex matrimonio sic dicto *civili* oriri denegatur, quia omnino denegandi sunt effectus quomodocumque canonici matrimonio anticanonico (quod tale esse non desinit ex mera *interna* bona fide), eodem prorsus modo et ex eadem ratione denegandi sunt celebrationi civili, quando tenet forma canonica, effectus matrimonii putativi canonici.

A. Larraona C. M. F.
Subsecr. S. C. De Religiosis

---

[10] Diversa erit forma pro diversis nationibus, forsan etiam pro diversis ritibus et confessionibus; immo quaecumque *celebrationis forma,* etiam prorsus *illegalis,* extante bona fide, sufficere dicenda erit.

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

DE RELIGIOSIS

DE INSTITUTIS SAECULARIBUS: DOCTRINA ET PRAXIS

SUMMARIUM: Instituta vel Instituta saecularia. II. Positio iuridica Institutorum saecularium. III. Sequelae iuridicae conceptus generalis Institutorum: A) Ius quo reguntur Instituta saecularia; B) Positio hierarchica Institutorum saecularium est perfecte autonoma. IV. Elementa substantialia et discriminativa Institutorum saecularium. V. Normae ad erectionem et approbationem. VI. Interna regiminis organizatio et relatio ad ecclesiasticas auctoritates. VII. Irretroactivitas legis peculiaris Institutorum saecularium.

Constitutio Apostolica *Provida Mater Ecclesia,* quae ad Instituta Saecularia constituenda et ordinanda fuit condita, hiusmodi Institutis Statutum generale simile illi constituit quod in Codice iuris canonici (tit. XVII) pro Societatibus vitae communis prostat. Statutum pro Institutis saecularibus in Const. *Provida Mater* contentum, quin Codicem iuris canonici tangat, pro quo Instituta Saecularia essent Associationes laicales, simile quid pro illis facit, quod Const. Ap. *Conditae a Christo Ecclesiae* Leonis XIII [1] provide et sapienter pro Congregationibus votorum simplicium, quin turbaret lineas generales iuris tunc vigentis, fecerat. Etiam Congregationes ante Const. *Conditae* theoretice erant et post illam remanserunt Congregationes, absolute loquendo, saeculares, non regulares. Constitutione tamen *Conditae* ius proprium obtinuerunt, in quo peculiares ipsarum tractus et characteres agnoscebantur et subnotabantur, quin expresse eisdem abnegarentur notae communes, quas cum Associationibus saecularibus adhuc, quatenus regulares non erant, poterant retinere.

Pars dispositiva Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia* [2] satis brevis est atque sobria. Decem articulis principia fundamentalia vitae iuridicae Institutorum saecularium mira praecisione continet; eorumque essentiali ordinationi nihil momentosum revera deficit. Sane, nomen, positio hierarchica, ius quo reguntur, elementa substantialia et discriminativa, normae ad erectionem et approbationem, interna regiminis organizatio atque relatio ad ecclesiasticas auctoritates, perlucide figuntur ac definiuntur.

---

[1] Const. *Conditae a Christo Ecclesiae*, 8 dec. 1900; cfr. *Leonis XIII Acta* vol. XX, pp. 317-327.

[2] Cfr. AAS, XXXIX, 1947, pp. 114-124.

I. *Instituta vel Instituta saecularia.* Terminologia in Constitutione recepta duplicem characterem Institutorum, nempe *generícum* et *specificum* clare subnotat. Habent in primis Instituta nomen proprium, characteri ipsorum specifico respondens. Hoc proprium nomen, Instituta, in genere Associationum saecularium quoad illa omnia distinguit, in quibus peculiare ius obtinent, quo ab aliis Associationibus separatur; quoad alia, in quibus cum ceteris Associationibus laicalibus conveniunt, evidenter sub earum communibus nominibus comprehenduntur.

Non absque matura, nec facili deliberatione, sed consulto nomen proprium *Institutum* seu etiam *Institutum saeculare* denique receptum fuit. Additio vocis *saecularis* hac mente facta apparet, ut usurpari posset semper ac necessaria seu utilis videretur, sive ad evitandam confusionem, sive signandum characterem saecularem horum Institutorum non religiosorum. Caeterum ratio huius duplicis denominationis ut notum est, in Codice nostro iam invenitur, qui ad indicandas Religiones votorum simplicium utitur propriis vocibus, tam verbo *Congregatio* quam formula *Congregatio religiosa.*

Si summis labiis rationes delibare velimus, quibus, ut videtur, legislator ductus fuit ad recipiendas voces *Institum* vel *Institutum saeculare,* haec innuere possumus: verbum Institutum fuit *de facto* in usu ante Codicem, etiam in documentis officialibus ad designandas Congregationes votorum simplicium. In Codice autem verbum Institutum non fuit receptum qua technicum, nec pro Religionibus votorum simplicium, quae vocabulo designantur *Congregationes* vel *Congregationes religiosae* (c. 428, 2°), nec pro Societatibus vitae communis (c. 637). Manebat ergo post Codicem verbum Institutum, in sermone iuridico Associationes respicienti [3], liberum seu vacans. Addatur huiusmodi vocem, sive in usu iuridico, qui Codicem praecedit, sive in usu etiam vulgari continere aliquam non vagam allusionem ad formam organicam religiosam, vel aequiparatam, et rem magis consistentem magisque completam exprimere quam verba *Societas, Associatio* vel *Consociatio.*

Vox *saecularis* applicata clericis vel laicis non religiosis est teminologia Codicis [4]. Huismodi vox insuper valde conveniens videtur ad evitandas confusiones et ad characterem saecularem subnotandum horum Institutorum.

---

[3] Dicimus *in campo iuris* (communis) pro Associationibus, quia Codex adhibet vocem Institutum cum adiuncto *ecclesiasticum* pro personis moralibus canonicis non collegialibus, in tit. XXVI, lib. III *(De aliis Institutis eccl. non collegialibus).*

[4] Cfr. cc. 110, 126, 131 § 3, 250 § 1, 297, 324, 358 § 2, 367 § 1, 457, 476 § 3, 491 § 2, 524 § 1, etc.

Quibus omnibus prae oculis habitis, iam intelligitur quomodo huiusmodi nomen (Institutum saeculare), quod post Constitutionem Apostolicam *Provida Mater Ecclesia* technicum in iure fit et Societatibus illud ferentibus tribuit certos ac determinatos effectus iuridicos, non potest assumi private, sed oportet ut imponatur ab auctoritate ecclesiastica. Hinc merito Instructio Sacrae Congregationis de Religiosis *Cum SS.mus*, diei 19 martii 1948, ad vitandas difficultates exortas ex abusu nominis Instituti saecularis haec prodenter statuit: « Ut aliqua Associatio, etsi perfectionis christianae professioni atque apostolatus exercitio in saeculo impense dedita, nomen et titulum Instituti Saecularis assumere iure meritoque valeat, non solum omnia atque singula elementa habere debet, quae, ad normam Constitutionis Apostolicae Provida Mater Ecclesia, ut necessaria et integralia Institutorum Saecularium recensentur ac definiuntur (Art. I et III), sed praeterea necesse prorsus est ut ab aliquo Episcopo, hac Sacra Congregatione prius consulta, approbata atque erecta sit (Art. V, § 2; Art. VI) » [5]. Neque sufficit, prout patet, ut omnia elementa requisita a Const. Ap. *Provida Mater Ecclesia* de facto habeantur, sed oportet ut iuridice a Sancta Sede recognita sint.

II. *Posito iuridica Institutorum Saecularium.* Conceptus generalis indolis positivae et legislativae, prout resultat ex elementis in articulo I° Constitutionis Apostolicae contentis, sic synthetice proponi potest:

a) Instituta saecularia iuridice sunt Societates, sive clericales, sive laicales sed formaliter saeculares, non religiosae, nec aequiparatae Societatibus religiosis (Religionibus).

b) Qua Societates saeculares *Instituta Saecularia* pertinent in cathegoriam Associationum saecularium (c. 684 seq.), sed in ambitu et in genere Associationum saecularium habent certam, definitam satisque amplam personalitatem, quam nomen et ius proprium requirunt, atque indoli necessitatibusque eorum specificis bene respondentem.

c) Omnes tractus characteristici Institutorum saecularium sunt valde affines illis Religionum et Societatum vitae communis; a quibus tamen distinguuntur propter characterem generalem, qui est saecularis quemque semper conservant.

d) Tractus characteristicus maximi momenti in Institutis saecularibus, ex quo alii derivantur et ad quem reducuntur, est sine dubio sequens:

---

[5] Cfr. Instructio *Cum SS.mus (De Institutis saecularibus)*, n. 1. (AAS, 1948 (XV), p. 293).

Dum scopus aliarum Associationum saecularium absolvitur in quibusdam tantum operibus caritatis et apostolatus (c. 685), quae non tantam mutationem in characterem fundamentalem vitae inferunt suorum membrorum, ut possint dici mutavisse vitae statum; Instituta saecularia e contra exigunt a membris suis totalem vitae consecrationem ad acquirendam perfectionem per praxim obligatoriam consiliorum evangelicorum et plenam deditionem apostolatui. Et quidem, ita ut sub veste saeculari Instituta de facto constituant in saeculo verum statum perfectionis, qui nec est nec vult dici status canonicus perfectionis, qui separat a saeculo (status religiosus), sed qui evidenter multum distat a puro statu saeculari, etiamsi hic esset sanctificatus piis operibus, et ab apostolatu Associationum typi partialis et normalis [6].

III. *Sequelae iuridicae conceptus generalis Institutorum.* Sequelae iuridicae profluentes e charactere formaliter saeculari Institutorum enuntiantur et recolliguntur principaliter in articulo II Const. Ap. *Provida Mater Ecclesia;* quae autem connectuntur cum charactere substantialiter religioso, inveniuntur in art. III e sequentibus huismodi documenti;

B) *Ius quo reguntur Instituta Saecularia.* Art. II definit concrete ius, quo debent regi haec Instituta, continuando ea, quae exhibentur ultimis verbis art. I: « atque huius Constitutionis Apostolicae normis subiiciuntur ».

Haec definitio concreta incipit *negative,* excludendo applicationem normalem iuris vigentis Religionam et Societatum vitae communis (§ 1), cum Instituta Saecularia nec Religionibus, nec Societatibus aequiparatae sint (1°), admittendo tamen applicationem exceptionalem expressam quorumdam praescriptorum iuris Religiosorum, et praesertim iuris Societatum vitae communis. Applicatio debet esse expressa et legitima, nam ius religiosorum vel aequiparatum nec obligat, nec invocari potest sine interventu superiore. Applicabilitas illa per accomodationem fundatur in similitudine substantiali, quam prae se ferunt haec Instituta per respectum ad Religiones, maxime autem ad Societates vitae commu-

---

[6] Omnia haec confirmationem accipiunt, ascetice et iuridice, in documentis quae post Constitutionem Apostolicam *Provida Mater Ecclesia* promulgata sunt. Cfr. Instr. *Cum SS.mus*, n. 10: « Instituta Saecularia a) ex statu plenae perfectionis, quam profitentur, et ex totali apostolatui consecratione, quam imponunt, in hoc eodem genere perfectionis et apostolatus, *ad maiora evidenter vocantur*, quam ea quae fidelibus, optimis etiam, in Associationibus mere laicalibus aut in Actione Catholica aliisque piis operibus laborantibus sufficere viderentur »; non aliter sese exprimit R. Pontifex in Motu Proprio *Primo feliciter (De Institutorum saecularium laude atque confirmatione),* diei 12 martii 1948, n. VI (Cfr. AAS, 1948, (XL), p. 283).

nis. Haec norma valet directe pro Sacra Congregatione, sed in casu applicationis valet qua criterium interpretationis obiectivum pro omnibus.

Definitio concreta iuris, quod applicatur Institutis, completur § 2 *in forma positiva,* enumerando cathegorias normarum, quae regualare debent Instituta, constituendo sic ius commune et proprium:

a) Consulto legislator asserit, prae omnibus, et quidem modo generali, Instituta saecularia esse subiecta normis canonicis communibus, quae ea spectant. Cum non habeant normas proprias, quae eorum naturae melius corresponderent, per se patet ea normis communibus subiici debere, sive tamquam personae morales collegiales (ex. gr. cc. 100, 101, 102, 105, 106 etc.), sive qua morales collegiales saeculare (« salvis communibus iuris canonici normis, quae ipsa respiciant »).

b) Qua ius proprium, correspondens magis naturae et conditionibus Institutorum saecularium, ponuntur tres cathegoriae subordinatae normarum:

1. Normae fundamentales et generales, in hac Constitutione Apostolica contentae, quae efformant statutum canonicum omnium Institutorum saecularium [7].

2. Normae, quas Sacra Congregatio de Religiosis edet [8], interpretando et complendo Constitutionem, sive pro omnibus Institutis, sive pro quadam cathegoria eorum. Visum est conviens praevidere has normas complementares, quae necessario multiplicabuntur. Sic habetur basis legalis expressa per S. Congregationem, quae interpretationem, applicationem et complementum Constitutionis respicit;

3. Constitutiones pro omni Instituto. Opportunum est dicere Constitutiones in tanta Institutorum varietate formarum habere functionem adhunc magis amplam, et magis intensam, quam illa quam habent Constitutiones propriae pro Societatibus sine votis, quibus in tit. XVII.

B) *Positio hierarchica Institutorum saecularium est perfecte autonoma*: non sunt Religiones neque Societates vitae communis (Art. III).

a) Non sunt Religiones, quia non habent nec possunt habere vota publica, quae sunt essentialia ad naturam iuridicam Religionum (c. 488, 1°). Multi horum Institutorum habent vota, omnia tria vota communia, sed haec vota non sunt publica, id est recepta

[7] Cfr. etiam Motuo Proprio *Primo feliciter* prius citatum, in quo alia praescripta canonica generalia continentur.

[8] Cfr. Instructio *Cum SS.mus*.

ab Ecclesia (c. 1308, § 1) et ab Ecclesia in Codice ordinata, nec possent esse huiusmodi, nam speciatim quoad votum paupertatis, praescripta quaedam canonica (e. gr. cc. 569, 580, 583) non possent adaptari quoad totum, nec ullum interesse existit adaptandi ea litteraliter his Institutis. Quae quidem canonica praescripta possunt merito substitui aliis magis elasticis, quae non minus ad sanctificationem conferunt. Ecclesia igitur non recipit vota Institutorum saecularium, prout non recipit vota Societatum vitae communis, quae in hoc conveniunt cum Institutis saecularibus (c. 673, § 1). Ecclesia autem non ignorat, nec in foro externo, vota tum in Societatibus vitae communis, tum in Institutis saecularibus nuncupata. Vota haec, etiamsi non sunt publica in sensu specifico votorum publicorum (i. e. quae ab Ecclesia recipiuntur et ab Ipsa in iure publico interno magis solemniter ordinantur), non sunt tamen vota stricte privata, quae ad forum internum pertinent - ab Ecclesia in foro externo ignorata - eorumque curam habet S. Poenitentiaria. Possunt merito appellari vota *semipublica* vel *privata recognita* vel *socialia*: sunt enim vota, quae Ecclesia *recognoscit;* quae Constitutionibus *regulat;* quibus *effectus* in Instituto attribuit (v. gr.: pro regimine, pro dimissione, si non adimplentur etc.); *quibus* - potest dici - *adsistit,* prout evenit, analogia quadam, in matrimonio, etiamsi ea non recipiat.

b) Instituta saecularia non possunt esse sub iure communi, nec convenit illis ut sint Religiones vel Societates vitae communis, propter vitam communem. Etenim, Instituta huiusmodi non possunt habere vitam communem regularem et canonicam i. e. generalem pro omnibus membris et normis Codicis ordinatam, quin a sua specifica missione sanctitatis et apostolatus in saeculo deficerent: regulae clausurae, exitus, et omnes conditiones, quae ad hunc finem domus ad vitam communem destinatae habere debent, illis obstaculo essent.

Vita canonica communitatis in iure Codicis, si non potest dici pro Religionibus ita essentialis et necessaria prout vota publica [9], debet dici necessaria ad integritatem, cum mille modis supponitur et imponitur a Codice [10]; et pro Societatibus vitae communis, vita canonica communitatis non solum est requisitum ad integritatem necessarium, sed debet dici nota characteristica et distinctiva, a qua etiam nomen habent.

Heic juvat notare quod formula a legislatore adhibita in subiecta materia est ampla (« nec communem vitam, seu commora-

---

[9] Cfr. Larraona, *Damm. pro Relig.* II, p. 137 sqq.; Schaefer, *De Religiosis*, n. 142.

[10] Cf. cc. 594, § 1; 587, § 4; 606, §§ 1 et 2; 638; 639; 644; § 3, etc.

tionem sub eodem tecto omnibus suis membris, ad normam iuris imponant »), ita ut comprehendat omnia Instituta saecularia: 1) tum ea quae quasi absolute non habent vitam communem, salvo tamen art. III, § 4; 2) tum ea quae non habent vitam communem obligatoriam pro omnibus membris, ita ut quidam in communitate vivant, alii non, ad normam propriarum Constitutionum et secundum dispositionem Superiorum; 3) tum demum illa, quae habent vitam communem pro omnibus membris, sed haec non est canonica, i. e. ordinata ad normam Codicis, sicut vita communis Religionum et Societatum vitae communis, sed ordinata ad normam propriarum Constitutionum, et correspondens naturae saeculari et scopo Institutorum.

IV. *Elementa substantialia et discriminativa Institutorum Saecularium.* Fundamentalis prae omnibus est articulus III Constitutionis Apostolicae, ad hoc ut prorsus distinguantur Instituta saecularia vera, in quibus nimirum solidus, authenticus et completus status perfectionis invenitur et de quibus S. C. de Religiosis curam habere debet, ab illis Institutis, quae etsi sancta et utilia, non possunt haberi ut talia ob defectum status perfectionis completi [11].

In articulo, quem examinamus, continetur in quattuor paragraphis, descriptio requisitorum exigendorum a S. Congregatione ad hoc ut ipsa concedat sic dictum *nihil obstat* pro erectione dioecesana Institutorum saecularium et pro elevatione in Institutum iuris pontificii. Articulus est sapienter et iuste severus. Associationes, quae non tangunt limites praescriptos a requisitis ibi enumeratis, debent manere in ambitu competentiae S. C. Concilii, et debent sequi ius commune Associationum laicalium.

In paragrapho prima dicitur « praeter alia communia... » ad indicandum quod Instituta saecularia necesse est ut habent omnia requisita quae communia sunt omnibus personis moralibus collegialibus et ea quae sunt propria Associationum saecularium, et debent adhunc possidere requisita enumerata in §§ 2-4.

a) Prima series requisitorum - quae continentur in paragraho secunda - spectat elementa status completi perfectionis, scilicet consilia evangelica. Constitutio Apostolica loquitur de requisitis « quoad vitae consecrationem et christianae perfectionis professionem ». Consulto haec verba adhibentur, quia sapiunt antiquitatem et moderni in iis delectantur, has locutiones aliis, in quibus intrat verbum *religiosus,* praeferendo.

1. Exigitur, ut fundamentum plenae consecrationis vitae perfectioni, professio *coelibatus;* quare horum Inst. membra non sunt

---

[11] Cfr. etiam Motu Proprio *Primo feliciter*, n. 7.

matrimonio iuncta; sed, ut clare indicetur ambitus externus et internus consilii evangelici castitatis, adiungitur « coelibatus et castitatis perfectae » (c. 1309). Haec professio castitatis perfectae debet esse obligatoria in conscientia et potest perfici, ad normam Constitutionum, ut votum, iuramentum, consecratio, dummodo ambitus eius et obligatio sint clara et bene definita. Merito non fit sermo de promissione castitatis, ut aliquid distinctum a voto, prout evenit in casu consilii evangelici oboedientiae et pauperatatis, quia nonnisi difficulter conciperetur promissio castitatis perfectae homini facta. Constitutio loquitur, e contra, ut vinculum ad firmandam obligationem castitatis, non tantum de voto et iuramento, sed etiam de consecratione, inquantum hodie verbum et idea consecrationis multum placent. Sic huiusmodi verbum admittitur dummodo in Constitutionibus sit clarus ambitus et vis obligationis ipsius. Igitur, ut in ordine sacro lex generalis Ecclesiae (c. 132, § 1), heic lex particularis Constitutionum determinat vim et ambitum huius consecrationis, per quam personae consecratae sese Deo mancipant.

2. Relate ad consilium evangelicum oboedientiae Constitutio Apostolica loquitur *de voto,* id est promissio Deo facto, et *de promissione* nempe Superioribus facta. Huiusmodi oboedientiae est creare vinculum stabile, per quod sodalis de facto sit - moraliter loquendo - in manibus Superiorum in duplici aspectu eius vitae, scilicet tum quoad aspectum ascetico-disciplinarem, tum quoad aspectum apostolatus.

3. Quoad consilium evangelicum paupertatis vel, aliis verbis, circa limitationem liberi usus, quae format materiam necessariam consilii paupertatis, Constitutio Apostolica remittit Constitutionibus, quibus ampla facultas conceditur.

In Congressu plenario diei 19 mensis maii anni 1949, praeside Em.mo Cardinali Sacrae Congregationis Praefecto, occasione quorundam dubiorum Sacrae Congregationi propositorum circa art. III Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia,* Ipsa Sacra Congregatio suam mentem authentice definivit circa obligationes, quas inducunt huiusmodi vincula. En textus declarationis, quae maximum momentum habet, tum pro discriminatione Institutorum, tum pro expolitione doctrinae circa ipsos:

« 1. Obligationes, quae a membris stricto sensu sumptis (Art. II, §§ 2 et 3) in Saecularibus Institutis ad statum iuridicum perfectionis completum amplectendum contrahuntur (Art. III, § 2) ut fini atque naturae Institutorum respondeant, leves ex genere suo atque ex omni parte esse non possunt.

2. E contra vincula, quibus hic perfectionis status innititur,

ita obligare in coscientia censentur, ut obligationes, quas inducunt, *ex genere suo* graves dicendae sint.

3. In casibus singulis obligatio gravis tunc tantum habenda est, quando ipsius materia, ad normam Constitutionum et circa paria vel similia vincula, communis doctrina certo certius gravis reputari debebit. Et quia iuxta notam regulam iuris (Reg. 30 in VI°) « *in obscuris minimum est sequendum* », gravis seu gravior obligatio - puta ex formali religionis virtute orta seu confirmata - in casu dubii affirmanda non est.

4. Quaenam sit natura vinculorum, quae in singulis Institutis assumuntur, et definitio rationis, qua ipsa obligant - an scilicet praeterquam ex iustitia atque ex fidelitate, etiam et quomodo ex religione teneant - eruendum est ex Constitutionibus, quae rem accurate describere debent, necnon ex formula consecrationis seu incorporationis, in qua ipsa exprimuntur.

5. Etiam quando certa sit formalis ex virtute religionis obligatio, cum agatur de votis seu vinculis, quae, etsi adaequate privata non sint, tamen ex regula nec sensu stricto atque specifico publica dici valeant nec publicam personae consecrationem inducant, ipsorum violationi sacrilegii malitia non est tribuenda ».

b) Secunda series requisitorum, de qua in paragrapho tertia, refertur ad incorporationem Sodalium Instituto et vinculum ex ipsa ortum.

1. Hodie Ecclesia, prout patet, *in nullo casu* recognoscit statum perfectionis iuridicum in vita individuali et isolata. Ad hunc statum iuridicum habendum requiritur *vita socialis,* mediante incorporatione in aliquam Societatem ab Ecclesia erectam et ordinatam ad hunc finem, scilicet ad professionem iuridicam status perfectionis. Huiusmodi professio perfectionis essentialiter coniungitur cum incorporatione superius nominata: illa est invalida, si haec non sit valida; quando haec cessat, illa disperditur. Sic hodie, post Codicem, non est religiosus eremita; item saecularizatio, per quam rumpitur incorporatio, secumfert dispensationem, vel melius votorum cessationem (c. 640, 2°).

Incorporatio est vinculum stabile, mutuum ac plenum ad normam Codicis.

Haec criteria solida et profunda accomodata sunt etiam huic statui perfectionis in saeculo vel Institutis saecularibus. Ipsa pariter distinguunt, uti evidens est, Instituta saecularia ab Associationibus laicalibus. Vinculum, quod existit inter has et membra ipsarum, non est nec stabile, nec plenum, nec imponit responsabilitatem totalem.

2. Textus Constitutionis Apostolicae est legislativus et gene-

ralis; etenim nihil dicit de natura incorporationis, sed statim loquitur de vinculo, quod haec producit. Relinquit Constitutionibus determinationem vinculi, quod potest esse Institutum saeculare inter et eius membra *in sensu largo*, et disserit tantum de vinculo inter Institutum et membra *in sensu stricto*, quae vere incorporata sunt. .

3. In particulari: 1°. Vinculum debet esse *stabile* ad normam can. 488, 1°. Porro non admittitur, tamquam basis alicuius perfectionis socialis, vinculum cum Deo et incorporatio vel vinculum cum Instituto pure et intentionaliter temporaneum, ex. gr.: ad duos annos, quibus peractis esset possibile vinculum rumpere. Vinculum potest esse temporaneum, dummodo renovatio non excludatur, immo dummodo haec intendatur (« elapso tempore renovanda »); 2°. Vinculum debet esse *mutuum* ac *plenum*, ita ut Institutum, ad normam Constitutionum, respondeat de sodali, qui sese ipsae dedicat et quidem in tali mensura in quali sese ei dedicavit.

c) Ad tertium denique quod attinet, nempe ad domos communes, en doctrina contenta in paragrapho quarta Constitutionis Apostolicae:

1) Instituta, ex regula generali et vi huius Constitutionis Apostolicae, non obligantur ad vitam in communitate ducendam pro omnibus membris; 2) Nihil obstat quominus secundum ius particulare et ad normam ipsius, omnes talem vitam ducant, vel aliquae cathegoriae tantum. A fortiori nihil impedit ut Superior imponat vitam in communitate ducendam pro singulis membris incorporatis, ex rationibus individualibus et personalibus socii, vel ex rationibus apostolatus vel utilitatis communis Instituti; 3) Factum, quod detur vita communis, etsi haec ad omnia membra extendatur, non mutat Institutum saeculare in Societatem vitae communis, quia non agitur de vita communi ad normam Codicis; 4) Suadetur, immo iubetur (« oportet ») ut habeantur domus communes, etiam si vita communis in genere obligatoria non sit; 5) Functiones horum domorum sunt tres, clare in numeris 1-3 enumeratae: « 1. Residere valeant qui Instituti regimen, supremum praecipue vel regionale, exercent; 2. Commorari vel ad quas convenire queant Sodales, ad institutionem accipiendam et complendam, ad exercitia spiritualia peragenda et alia huismodi; 3. Recipi possint Sodales, qui ob infirmam valetudinem, vel ob alia rerum adiuncta sibi providere non valeant, vel quibus non expediat, ut apud se vel apud alios ipsi privatim remaneant ».

V. *Normae ad erectionem et approbationem.* Articulus V et VI de erectione Institutorum saecularium iuris diocesani loquuntur; articulus VII autem de elevatione Institutorum saecularium

in Instituta iuris pontificii tractat. Sic in forma practica legislativa definitur quod divisio Religionum (c. 488, 3°) et Societatum vitae communis (c. 673, § 2) applicanda est etiam Institutis saecularibus.

Articulus V duabus paragraphis componitur. In paragrapho prima ponitur pro Institutis saecularibus principium vigens pro Religionibus ad normam can. 492, § 1, et pro Societatibus vitae communis vi cc. 673, § 2, 674; Episcopi igitur est erigere Instituta saecularia, quae consequenter Instituta iuris diocesani deveniunt. In paragrapho secunda imponitur Episcopo erigenti Instituta saecularia illud *nihil obstat* quod Pius X per M. P. *Dei Providentis* (15 iulii 1906, n. 1 [12] imposuit pro erectione Congregationum, et quod hodie vi Codicis viget et pro Religionibus (c. 452, § 1) et pro Societatibus vitae communis (c. 674). De modo quo *nihil obstat* obtineri potest sermo est in art. VI.

Ad similitudinem Religionum et Societatum vitae communis, Institutum saeculare diocesanum iam *virtualiter* universale est; etenim, etsi submissum Episcopo, potest, ad normam iuris, sese diffundere in alias dioeceses cum potestate interna unica et sic *pluridioecesanum* fieri. Ad Intitutum saeculare diocesanum doctrina Codicis applicatur (cc. 492, § 2, 493, 495, 498 etc.). Sub hoc aspectu pariter Instituta saecularia *iuris pontificii* Religionibus et Societatibus iuris pontificii aequiparantur. Igitur per hunc characterem pontificium, certe Instituta saecularia non fiunt exempta exemptione proprie dicta; subiiciuntur iurisdictioni Ordinariorum, ad normam iuris, non autem eorum potestati dominativae; in his omnibus, quae regimen et oeconomiam internam respiciunt, exempti sunt iuxta regulas c. 618.

Opportunum ducimus heic mentionem facere de effectibus iuridicis, quos praxis Sacrae Congregationis tribuit erectioni dioecesanae Institutorum:

1. Erectione rite perfecta omnes sodales consecrationem, quam prius peregerunt in Pia Associatione, eadem ratione, sive temporariam sive perpetuam, renovare debent. Tempus praecedentiae consecrationis in Instituto saeculari pariterque tempus probationis, ad omnes effectus canonicos, illud computandum, est, quod sodalis in Pia Associatione compleverit.

2. Domus seu centra ente erectionem Instituti fundata, si ex venia utriusque Episcopi ad normam can. 495, § 1 fuerunt constituta, ipso facto erectionis membra evadunt Instituti.

3. Bona temporalia, quae Institutum reapse ut propria possideat, formam iuridicam validam quamprimum induere debent.

---

[12] Cfr. *Pii X Acta*, vol. III, p. 141-143.

Speciali modo insistitur ne Episcopus accedat ad erectionem non verificatis conditionibus et requisitis in I et II art. enumeratis, sicut etiam illis a S. Congregatione per casum particularem requisitis.

Ad decretum laudis et ad ulteriorem et definitivam approbationem « illa generatim, congrua congruis S. Congregationis iudicio referenda requiruntur, quae ex Normis (nn. 6 seqq.), stylo et praxi eiusdem Congregationis pro approbationibus Congregationum vel Societatum definita sunt vel definientur » (art. VII, § 2) [13]. In paragrapho prima huismodi art. VII ea continentur, quae applicationem characteris *iuris pontificii* Institutis spectant. Citantur cc. 488, 3° et 673, § 3 et ita indicatur quod eadem est notio (characteri *iuris pontificii*) pro Institutis sicut et pro Religionibus et Societatibus vitae communis. Iuris sunt pontificii Instituta quae obtinuerunt sic dictum *decretum laudis* vel *approbationem inchoativam* et a fortiori talia sunt, quae *definitivam* obtinuerunt *approbationem*. Paragraphus secunda determinat quid exigendum est Instituto ut ad approbationem inchoativam (decretum laudis) vel definitivam accedere possit. In paragrapho tertia describitur modus, quo Sacra Congregatio in approbationem concedendam procedere debet. Huiusmodi procedura, prout patebit ex infra dicendis, facilior et expeditior redditur quam ea vigens pro Congregationibus et Societatibus vitae communis.

Paragraphus tertia absolvit in nn. 1-3 quaestionem de procedura:

1. Prima periodus in approbatione et pro Religionibus et pro Societatibus vitae communis et pro Institutis saecularibus aequalis est: causa praeparata ad normam paragraphi secundae uno Consultori mittitur, qui suum votum exarat et refert in Commissione Consultorum cui praeest, ad normam regularum vigentium, Secretarius vel altero qui eius vices gerat.

2. Secunda periodus approbationis Institutorum reservatur *Congressui* sic dicto *pleno*. Praeside Em.mo Cardinali Praefecto partem in Congressu tenent Secretarius, Subsecretarius, Adiutores studii et aliquot Consultores, quorum numerus non determinatur (« prout necessitas vel utilitas suggerat »). Consultores, qui afferre debent Congressui adiumentum secundum propriam competentiam specificam, opportunum est, immo necessarium, ut sint distincti a Consultoribus qui in Commissione interfuerunt; Congressus est

---

[13] *Normae*, quas Constitutio Apostolica commemorat, editae fuerunt a S. C. de Religiosis die 6 martii an. 1921, sub titulo: *Normae secundum quas S. C. de Religiosis in novis religiosis Congregationibus approbandis procedere solet.* Cfr. AAS, XIII (1921), 312 ss.

enim organismus gradus superioris iudicans quod operatum est a Commissione. En cur dicitur « peritis seu peritiorubus consultoribus ». Hic Congressus plenus in casu normali Plenariam substituit, quae intervenit in approbandis Congregationibus et Societatibus vitae communis.

3. Tertia periodus approbationis est *confirmatio pontificia.* E.mus Card. Praefectus vel Ipse per se de hoc in Audientia referre potest, vel per Exc.mum Secretarium, ut moris est post Plenariam.

VI. *Interna regiminis organizatio et relatio ad ecclesiasticas auctoritates;* Articulus VIII correspondet can. 500, § 1 (cfr. c. 675) et in particulari, quoad Instituta iuris dioecesani, canoni 492, § 2.

Ad rectam intelligentiam doctrinae in huiusmodi articulo contentae prae oculis habeantur cc. 500, § 1, 675, 492 § 2, et 618, qui fundamentales sunt in subiecta materia et criterium solidum nobis praebent.

Articulus IX Institutis applicat regimen et organizationem internam *Religionum* (tit. IX, cc. 492-498; tit. X, cc. 499-537) et *Societatum vitae communis* (tit. XVII, cc. 674-675). Etenim regimen et ordo internus Institutorum saecularium *est regide hierarchicum,* sicut in Religionibus et Societatibus vitae communis; *est typi integralis,* id est confert Superioribus omnem potestatem necessariam ad disponendum de vita et activitate consecrati; *est characteris* non localis, nec dioecesani, nec territorialis, prout omnes Associationes laicales sine exceptione, sed *personalis et sic catholici et universalis.* Uniones primariae, Archisodalitia, Archiconfraternitates, Tertii Ordines, omnes cathegoriae Associationum laicalium sut characteris localis in seipsis, et coniunctiones, quas habent cum Associationibus aggregatis, sunt mere morales et spirituales, non iurisdictionales et potestatis. In iure canonico nondum agnoscuntur regimina interna vere hierarchica et centralizata, nisi in illis Societatibus, quae plene disponere possunt de suis membris.

VII. *Irretroactivitas legis peculiaris Institutorum Saecularium.* Constitutio Apostolica *Provida Mater Ecclesia* vim retroactivam non habet. Art. X Constitutionis correspondet praeocupationi iniuriam vitandi illis Institutis, quae hucusque approbata fuerunt a Sancta Sede vel ab Episcopo cum *nihil obtsat* Sacrae Congregationis. Omnia autem Instituta sine inspectione Sanctae Sedis nata minime recognoscuntur. Debent venire et quidem necessarie, ut *nihil obstat* obtineant. Aliter sunt et remanent Associationes de facto vel Associationes de iure, sed laicales tantum.

Salvator Canals
S. C. de Religiosis

DE MATRIMONIO

DE ACTU POSITIVO VOLUNTATIS QUO BONUM ESSENTIALE MATRIMONII EXCLUDITUR

Juxta can. 1086 § 2 nullum est vinculum, si matrimonium ipsum aut eius essentialis proprietas excludatur « *positivo voluntatis actu* ». Locutio ista nova dici potest in jure.

Fontes enim [1], eorumque Commentatores [2] et Veteres Canonistae [3], generatim de conditione et pacto loquuntur, immo de conditione in pactum deducta [4]. Quamvis ratio loquendi in Codice sancita, doctrina [5] et jurisprudentia [6] recentioribus inducta sit, conceptus qui eadem exprimitur neque fontibus [7], neque antiquis Theologis [8] et Canonistis [9] fuit ignotus. Iidem enim sive de *proposito* sive de *intentione* pertractant nuptias irritante, et aliquando promiscue et indifferenter de *intentione* et *conditione* loquuntur [10].

[1] Cfr. ii qui citantur in nota ad can. 1086 § 2, praeter primum.

[2] Cfr. Decretalistae ad L. IV, Tit. 5, *de condicionibus appositis*, c. 7.

[3] Cfr. e. g. Th. Sanchez. *De Sancto matrimonii Sacramento*, L. V, disp. IX; B. Pontius, *De Sacramento Matrimonii*, L. III, cc. IX-XI; etc.

[4] Cfr. *S. Congregatio S. Officii:* 2 Dec. 1680 (*Fontes C. J. C.* Vol. IV, n. 755, p. 35; cfr. etiam ibid. n. 761, p. 40, nn. 1-2); 24 Januarii 1877 (*Fontes C. J. C.* IV, n. 1050, p. 374); 4 februarii 1891 (*Fontes C. J. C.*, IV, n. 1130, p. 457), etc. Cum in fontibus legitur matrimonium non irritari nisi conditione in pactum deducta, verba pluries eo sensu intelligenda sunt quod conditio contractum matrimonialem non invalidat nisi in ipsum ingrediatur (Cfr. *Fontes C. J. C.*, IV, p. 373; p. 346 ad 8).

[5] Cfr. P. Gasparri, *De Matrimonio*, ed. an. 1904, n. 919.

[6] Cfr. *Decisiones S. R. Rotae*, Vol. I, a. 1909, p. 108, n. 8, c. *Mori*, qui loquitur de « *positiva intentione* »; Vol. III, a. 1911, p. 16, n. 3, c. *Many*, qui loquitur de « *actu voluntatis expresso et positivo* » quo quis « reiciat contractum, vel eius obligationes substantiales »; Vol. V, a. 1913, p. 194, n. 20, c. *Cattani*, qui conditionem interpretatur « pro quocumque *voluntatis actu, quo positive bonum essentiale matrimonii excludatur* ».

[7] Cfr. c. 26, X, IV, 1. *S. C. S. Officii*, 22 Julii 1840, (*Fontes C. J. C.*, IV, n. 883, p. 163): 19 augusti 1857, (*Fontes C. J. C.*, IV, n. 945, p. 219-220, ad 5); 22 augusti 1860 (*Fontes C. J. C.*, IV, n. 964, p. 238); etc.

[8] Cfr. ex. gr. S. Thomas, *in IV*, Dist. 31, q. 1, art. 3, in corp.; I. De Lugo, *De Sacramentis*, disp. VII, sect. 8; Ballerini-Palmieri, *Opus Theologicum Morale*, ad 3a, t. VI, nn. 498 ss.; etc.

[9] Cfr. e. g. E. Gonzalez. Tellez, *Commentaria*, L. IV, tit. V, cap. 7, n. 9; Th. Sanchez, *o. c.* L. II, disp. 29, n. 11-12; B. Pontius, *o. c. Appendix de matrimonio catholicorum cum haeretico* (in fine operis), cap. IX, n. 11; Ph. De Angelis, *Praelectiones. i. c.* L. IV, tit. V, n. 7; F. X. Wernz, *Jus Decretalium*, ed. 2a, tit. IV, nn. 52 et 312, nota 44; etc.

[10] Cfr. *S. C. S. Officii*, 19 aug. 1857 (*Fontes C. J. C.* IV, n. 945, p. 220, ad. I); 9 dec. 1874 (*Fontes C. J. C.* IV, n. 1036, p. 346 ad 8); et adhuc P. Gasparri, *De Matrimonio*, ed. 1932, n. 825; etc.

Haec autem terminorum commixtio ex conceptuum similitudine profluit, immo ex rei ipsa natura. Neque enim ratione mentis subiecti, seu voluntatis contrahentis, neque ratione effectus seu contractus matrimonialis, conditio ab intentione, id est a simplici actu positivo voluntatis, substantialiter differt. In utroque casu consensus limitatur et in obiectum dirigitur a matrimonio substantialiter diversum, et in utroque casu, voluntate absoluta et praevalenti, essentia matrimonii excluditur aut eiusmet essentiale bonum; hac vero exclusione matrimonium tollitur. Nisi haec voluntas absoluta et praevalens, seu omnino constans et firmissima sit, praevalet voluntas generalis contrahendi matrimonium prout natura ipsa consistit [11]. Simplex actus positivus voluntatis seu intentio nihilominus a conditione differt, quia formam conditionis non induit; attamen a voluntate elicitur ita disposita, ut, si opus esset, vera condicio fieret [12].

Dum ergo verbis nunc in can. 1086 § 2 adhibitis rectius exprimitur conceptus vetus, idem substantialiter non mutatur, immo mutari non potest, quia de iure divino naturali in casu agitur, seu de consensu « qui nulla humana potestate suppleri valet » (can. 1081 § 1) [13].

---

[11] Propterea dicimus hunc actum positivum vim et effectum habere conditionis: si enim vim non haberet conditionis, praevaleret voluntas ineundi verum matrimonium.

Praeterea, aut actus iste positivus in consensum matrimonialem ingreditur, vel non: si consensum ingreditur, vim habet conditionis; si consensum non ingreditur, eiusdem validitati non obest. Si consensum ingreditur, in pactum matrimoniale, ut Veteres aiebant, deducitur.

[12] Speciem quamdam condicionis interpretative actus iste induit, non eo tamen sensu quod reapse actus positivus non exstet, sed quia ex animo profluit eodem modo ac pro condicione disposito. Propterea mirum non est si, sensu lato verbum accipientes, actum quem nunc simpliciter positivum vocamus, nomine condicionis Veteres comprehendebant (Cfr. *Commentatores* ad L. IV, tit. V, c. 7 Decretalium; Th. Sanchez, *o. c.* L. V, disp. IX; B. Pontius, *o. c.* L. III, cc. IX-XI; A. Reiffenstuel, *Jus Canonicum*, L. IV, tit. V, nn. 40 et 44; etc.). P. Gasparri, (*o. c.* ed. 1904, n. 903), scripsit: « Quod si contrahens, explicito voluntatis actu, seu vera *mentis conditione*, illam proprietatem revera excludit, matrimonium irritum est ».

[13] In hac re proinde, nisi ex speciali Christi ordinatione aliter probari possit, nulla gaudet Ecclesia nisi potestate rem declarandi seu clariori et perfectiori modo proponendi. Omnes igitur eius leges vel instructiones circa hanc materiam, quocumque tempore latae, sensu nunc in can. 1086 § 2 sancito saltem quoad ius substantiale, interpretandae sunt, ita ut qui positivo voluntatis actu matrimonium ipsum vel essentialem aliquam eius proprietatem excludat, invalide contrahat, sive hic voluntatis actus deducatur vel minus in conditionem vel pactum (Cfr. *Decisiones S. Romanae Rotae*, Vol. VII, Dec. XVI, n. 10, p. 170, c. *Cattani-Amadori*).

Motu proprio *Crebrae allatae* d. 22 februarii anni 1949 de disciplina matrimonii pro Ecclesia Orientali (*A. A. S.* 1949, p. 89 ss.) sapienter decernitur; « Matrimonium sub condicione contrahi nequit » (can. 83). Haec autem est lex simpliciter prohibens, et conditio contra matrimonii substantiam, illud reddit invalidum, prout constat ex jure naturae et ex cann. 72 et 77 § 2 eiusdem Motus Proprii.

Actus positivus, de quo loquitur can. 1086 § 2, definiri igitur potest ille actus, quo matrimonium ipsum aut fides, proles vel perpetuitas excluduntur voluntate ita absoluta et praevalenti, ut cum matrimonio, aut cum prole vel fide vel indissolubilitate contractus ipse reiceretur. Actus iste potest esse explicitus vel implicitus, quia implicitus eosdem parit iuridicos effectus ac explicitus [14]; neque interest utrum intentio, qua ponitur, sit actualis an virtualis, quia etiam intentio virtualis in actum influit eumque regit. Actus positivus e contra distinguitur ab intentione seu voluntate habituali, quae actum ipsum non determinat, neque consensum contrahentis ingreditur, ideoque consensum matrimonialem limitare non potest. Neque pariter haec positiva voluntas est voluntas proprie dicta interpretativa, quae nempe actualis fieret si de matrimonii aut eius boni exclusione agens cogitaret aut interrogaretur, sed reapse non existit nisi in animi dispositione seu habitu, quia de hac positiva voluntats exclusione agens non cogitat. Neque nomine actus positivi vocari potest voluntas generica, etiam pluries manifestata, excludendi matrimonium vel eius bonum, quia etiam voluntas ista recidit in habitum seu dispositionem animi, quae in concreto voluntatem non afficit matrimonium determinatum intendentem. Neque tandem iste actus positivus idem est ac mera hypothesis seu mera praevisio, etiam cum certitudine divertendi, fidei frangendae vel exclusionis filiorum, nisi actui mentis actus voluntatis accedat, quo matrimonii aut eius boni exclusio nedum praevideatur, sed et intendatur modo quo diximus.

Actus positivus voluntatis tunc tantum matrimonium irritat, cum ipsius substantiae adversatur. Iam tamen Veteres [15] sedulo distinxerunt intentionem qua excluditur bonum Sacramenti, ab intentione qua excluduntur cetera bona. Bonum enim Sacramenti, sua ipsa natura [16], distinctionem inter ius et usum non admittit [17];

---

[14] Cfr. ex. gr. *S. C. S. Officii* d. 24 Januarii 1877 (*Fontes C. J. C.* IV, n. 1050, p. 373); F. M. Cappello, *De Matrimonio*, ed. 1947, n. 598.

[15] Cfr. ex. gr. Th. Sanchez, *o. c.* L. II, disp. XXIX, nn. 11-12; E. Gonzalez-Tellez, *Commentaria*, L. IV, tit. V, c. 7, n. 9; etc.

[16] Ad bonum Sacramenti non pertinet mensae, thori, habitationis, vitae communio, quae etiam, integro vinculo, deficere potest (Cfr. ex. gr. Th. Sanchez, *o. c.* L. II, disp. XXIX, n. 12), sed ius tantum ad indissolubilitatem seu perpetuitatem vinculi. Si quis proinde sibi ius seu facultatem reservet etiam semel tantum divertendi, seu unicum actum ponendi contra bonum Sacramenti, illud penitus excludit, quia eo ipso perpetuitas cessat, et indissolubilitas cum separabilitate componi non potest.

[17] Cfr. S. Thomas, *Summa Theologica*, III, Suppl. q. 49, a. 3.

G. Michiels (*Breves adnotationes in tractatum canonicum de matrimonio*. Ex praelectionibus in Pont. Instit. Utriusque Juris-Romae 1939-1940, p. 156) distinctionem inter jus et exercitium etiam in bono Sacramenti inducere conatur, casum

actus positivus voluntatis contra bonum istud, necessario proinde et immediate ius ipsum afficit et in consensum matrimonialem ingreditur [18]; actus positivis voluntatis contra cetera bona nec semper nec necessario ius ipsum attingit et in consensum transit matrimonialem: potest vero usum tantum excludere. Quoad bonum fidei et prolis distinguenda est igitur ab exclusione iuris, simplex usus exclusio [19]. Quae distinctio, fatentibus omnibus, pluries difficilis est. Quapropter dicitur ad praesumptiones esse recurrendum.

Praesumptionem exclusi iuris, non simpliciter usus, haud raro dicunt oriri sive cum actus positivus voluntatis formam conditionis induit vel pacti; sive ex propositi perpetuitate vel tenacia. Haud recte tamen quaedam inter haec praesumptiones vocantur, quaedam vero alia, quibusdam tantum in adiunctis, praesumptiones sunt.

Conditio proprie dicta (seu *sine qua non*) non praesumptionem tantum, sed causam omnino certam constituit, ex qua nullitas matrimonii sequitur tamquam necessarius et inevitabilis effectus, nedum si id, quod conditioni subest, sit perpetua exclusio cuiuscumque actus per se apti ad prolis generationem cum voluntate abutendi coniugio, vel perpetua facultas alteri vel aliis adhaerendi,

---

fingens duorum nupturientium qui contractum ineunt cum intentione petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato.

Imprimis animadvertendum est hanc intentionem seu pactum, si qualitates induat quas supra de actu positivo innuimus, matrimonium irritare ob exclusionem boni prolis (Cfr. pro casu simili, Th. Sanchez, *o. c.* L. V, disp. X, n. 6). Respectu vero boni Sacramenti, dissolutio vinculi in casu non a contrahentium sed a Romani Pontificis voluntate pendet. Praeterea vinculum tantum consummatione omnimode indissolubile fit.

[18] Scripsit M. Massimi: « Ubi constat de positivo voluntatis actu matrimonii indissolubilitatem excludente, inquirendum ulterius non est, utrum contrahens voluntate praevalente intenderit verum matrimonium contrahere, necne. Actus enim ille positivus voluntatis, matrimonii indissolubilitatem excludens, natura sua praevalet » (*Decisiones S. R. Rotae*, a. 1927, Vol. XIX, p. 549, n. 2).

Corruente Sacramenti bono, corruit quoque bonum fidei, nam qui sibi reservat facultatem divertendi et alteri novo vinculo se iungendi, praeter indissolubilitatem, unitatem quoque detrectat, seu ius exclusivum in proprium corpus ex parte alterius contrahentis. Quapropter, exclusa perpetuitate, fides quoque, implicite saltem et indirecte, semper erit exclusa. Voluntas e contra qua bonum fidei excluditur, necessario bonum Sacramenti non ferit, nisi ex eo quod, contractus matrimonialis essentia mutata ob recusationem unius boni, corruunt bona omnia cum contractu ipso. Qui enim ius exclusivum in corpus suum alteri nupturienti tradere nolit, potest quidem traditionem perpetuam, etsi partialem, intendere. Dum ergo boni Sacramenti recusatio necessario secumfert boni fidei exclusionem, saltem implicite et indirecte, semper tamen in suo principio, voluntas qua bonum fidei excluditur vel in ius vel in usum dirigi potest, et in hunc non in illud ferri praesumitur.

[19] Si matrimonium ipsum excluditur, haec distinctio, ut patet, fieri non potest: cum contractus totaliter desit, nulla habetur traditio et acceptatio iuris.

sed etiam si conditio sit ad tempus, quoties tempus quo conditio perdurat, a momento quo consensus exprimitur absque interruptione non decurrat (e. g. *pro bono prolis*: dummodo post primum filium actus per se aptos ad prolis generationem evitemus; *pro bono fidei*: dummodo post aliquod temporis spatium vitae coniugalis, sit alterutri facultas adulterandi). Si vero tempus quo conditio perdurat, absque interruptione decurrat a momento quo consensus exprimitur, matrimonii valor suspenditur [20], donec conditio verificetur aut auferatur. Ex conditione enim proprie dicta consensus pendet, ideoque etiam iuris traditio atque contractus. Conditione ergo probata, certa est ipsius iuris exclusio. Item dicendum est, imo potiori iure, si cum tali conditione statuatur pactum, quod facilius probatur.

Utrum conditio virginitatis servandae in perpetuum vel ad tempus, matrimonium irritet, a saeculis disputatur [21]. Quin ex professo questionem aggrediamur, attendendum nihilominus censemus conditione consensum coarctari, ipsa natura rerum: qui ergo matrimonium contrahit cum conditione proprie dicta (seu *sine qua non*) virginitatis, ius in corpus suum alteri tradit et simul excludit. Neque videtur tunc distingui posse inter conditionem se

---

[20] Inspecta natura conditionis, quae consensum regit, conditiones istae (e. gr. *pro bono prolis:* donec convaluero vel melior fortuna arrideat; *pro bono fidei;* nonnisi postquam amasia alium ducat vel abeat) suspensivae videntur, ita ut, verificata conditione, matrimonium valeat.

Sive veteri (c. 7, X, IV, 5) sive novo iure (can. 1092) decernitur conditiones de futuro contra matrimonii substantiam, absque distinctione, irritare contractum, sed conditiones istae, postquam verificatae sunt, contra substantiam matrimonii esse non possunt.

Th. Sanchez (*o. c.* L. V, disp. X, n. 9) ait: « quando ponitur ea conditio suspensive, adhuc inducit obligationem repugnantem matrimonio quod sub ea conditione contractum est: ergo adhuc vitiat ». Hoc tamen verum videtur si matrimonium concurrat cum conditione, eius substantiae adversanti, non autem, prout in casu, si matrimonium cum hac conditione non concurrat, quia nempe conditio adimpleri debet priusquam matrimonialis contractus perficiatur. Recte tamen scribit Lehmkuhl, quem citat P. Gasparri (*o. c.* ed. 1932, n. 898): « si demum de isto matrimonii abusu tamquam de vera conditione *sine qua non*, seu de conditione mutua iura restringentia convenerunt, matrimonium nullum est: imo etsi pro futuro tempore (melioris fortunae) iam nunc ad iura matrimonialia sese mutuo obligare intenderunt, matrimonii valor saltem suspenditur ad modum contractus sub conditione de futuro, donec post mutatam fortunam aut criminis poenitentiam rectus matrimonii consensus evadat. Practice ergo facile ratio est, cur ad cautelam de novo rectus consensus poni debeat ». Suspensivam putat hanc conditionem etiam F. M. Cappello, o. c. n. 631.

[21] Cfr e. g. Th. Sanchez, *o. c.* L. V, disp. X, n. 1 ss.; P. Laymann, *Theologia Moralis*, L. V, tract. X, pars. II, cap. 7, n. 9; E. Gonzalez-Tellez, *Commentaria*, L. IV, Tit. V, cap. 7, n. 10; P. Gasparri, *o. c.* ed. 1932, n. 900 ss.; F. M. Cappello, *o. c.* n. 635 ss., qui alios citant.

non obligandi et conditionem non adimplendi, quia, si conditione proprie dicta exercitium excluditur, facultas ipsa ad usum non traditur, seu ius ipsum exercendum negatur; aliis verbis: conditione, in casu, consensus ad tempus vel in perpetuum negatur ad actus vere coniugales, ideoque ad tempus vel in perpetuum tollitur facultas iure utendi, id est traditur facultas sine facultate, quod contradictorium est.

Pactum habetur si duo (vel plures) consensum voluntatum suarum in se mutuo dirigunt [22], seu quotiescumque partes de relatione aliqua incipienda, prosequenda vel perficienda conveniant. Pactum igitur haberi potest cum conditione proprie dicta vel etiam absque conditione. Si pactum contra bonum fidei et prolis conditionem includat proprie dictam, consensum limitat ideoque ius, eosdemque parit effectus, quos supra vidimus ex conditione simplici oriri; praeterea facilioris est probationis [23]. Si pactum conditionem proprie dictam non contineat (e. gr. si nupturiens dicat se filios nolle et alter consentiat; aut si voluntatem ostendat fidei violandae, et alter acceptet), potest consensum matrimonialem afficere ipsumque limitare vel tollere, aut consensui adiici iam valido et perfecto tamquam verus ac proprius modus. Utrum pactum absque conditione proprie dicta consensum matrimonialem ingrediatur, an eidem simpliciter apponatur, arguitur ex voluntate paciscentium.

Quoad bonum prolis: si contrahentes conveniant, absque conditione, de matrimonio ineundo et insuper de castitate perpetuo servanda, eo ipso distinguunt ius ab usu, illud tradentes, hunc vero negantes, et valide contrahunt. Pactum enim istud contractui matrimoniali iam valido et perfecto adiicitur.

Huiusmodi tamen pactum perrarum est.

Si nupturientes, item absque conditione, inter se concordent de matrimonio ineundo, voluntate tamen absoluta et praevalenti (praevalenti nempe contra generalem voluntatem contrahendi verum matrimonium) perpetuo vitandi actus per se aptos ad prolis generationem et libidinem modo illicito explendi, non praesumptionem tantum, sed causam certam nullitatis pacto suo constituunt. Haec enim voluntas vim et effectum habet conditionis, consensum afficit ac limitat et contractum matrimonialem ingreditur. Tunc vero voluntas ad duo inter se pugnantia obligatur: ad actus per se nempe aptos ad prolis generationem, et ad eorumdem actuum

---

[22] Cfr. D. 2, 14 et 50, 12; C. 2, 3; A. Reiffenstuel, *Jus Canonicum*, L. I, tit. XXXV, n. 2 ss.; F. Schmalzgrueber, *Jus Ecclesiasticum*, L. I, tit. XXXV, n. 1 ss.; etc.

[23] Cfr. e. g. Th. Sanchez, *o. c.* L. V, disp. IX, n. 2; B. Pontius, *o. c.* L. III, c. IX, n. 8.

exclusionem. Non ergo hominum constitutione, sed ipsa natura rei matrimonium istud vitiatur [24]. Distinctio inter coniuges istos et illos qui cum pacto continentiae perpetuo servandae matrimonium celebrant, in eo est, quod istorum consensus pro omnibus bonis integer manet, illorum vero quoad bonum prolis excluditur, aut si velimus, ad abusum coarctatur et ius ad abusum tantum reapse traditur; ius vero ad abusum ne concipi quidem potest.

Pactum e contra de matrimonio ineundo, et simul de eodem in perpetuum abutendo, voluntate tamen initum quae neutra ex parte omnino firma sit et absoluta, sed facile etiam superari possit, matrimonium non irritat: pactum enim istud habetur ad instar modi. Neque obiici potest iuris essentiae repugnare eodem uti numquam posse, quia in casu ius traditur et usus omnino impossibilis non est, quia voluntas infensa superari valet. Probato igitur hoc pacto perpetuo vitandi actus per se aptos ad prolis generationem, tunc tantum de simplici praesumptione loquendum est contra ipsum ius, cum directe probata non est paciscentium positiva seu absoluta voluntas abutendi coniugio et simul cum perpetuitate propositi alia concurrant ex quibus voluntatis illud elicientis invincibilis firmitas argui valeat: tunc enim, ex iis quae communiter accidunt, non continentiae servandae, sed coniugio abutendi voluntas in dubio coniicitur.

Si nupturientes, item absque conditione, inter se conveniant de matrimonio ineundo, voluntate absoluta et praevalenti, de qua diximus, vitandi ad tempus actus per se aptos ad prolis generationem et coniungio abutendi, pacto suo causam pariter certam nullitatis ponunt: actus enim tali voluntate elicitus, ut vidimus, vim et effectum habet conditionis, et pactum ex eadem ortum obligationem includit quae consensum matrimonialem afficit, eumque vitiat. Propterea, si tempus quo pactum perdurat, de momento a quo consensus exprimitur, absque interruptione currat, valent ea quae de simili conditione diximus [25]. Quia vero da hac absoluta et praevalenti voluntate raro constat cum de pacto agitur temporaneo, eadem non praesumitur et matrimonium valere censetur: praesumitur e contra in casu agi de modo.

Contra bona fidei: pactum cum conditione vel sine conditione, quo uni vel utrique contrahenti ius seu facultas in perpetuum conceditur vel relinquitur corpus suum alteri tradendi, ius ipsum ad fidem necessario excludit, quia cum obligatione fidelitatis servandae componi non potest. Item dicendum est si, etiam absque

---

[24] Cfr. B. Pontius, *l. c.*

[25] Cfr. supra nota 20.

conditione, voluntate tamen absoluta et praevalenti, perpetuum pactum fiat violandi fidem.

Quoties eadem voluntate pactum ineatur ad tempus, valent ea quae de simili pacto diximus contra bonum prolis.

Simplex e contra propositum adulterandi, absque conditione et sine hac invincibili voluntate, ab unoquoque vel alterutro expressum et ab altero acceptatum, bonum fidei quoad ius non excludit, sive ad tempus sit sive absque limite temporis, id est perpetuum. Immerito enim, ex sola huius propositi perpetuitate, illa absoluta et invincibilis voluntas praesumeretur, qua non usus tantum, sed et ius ad fidelitatem reicitur. Aliis e contra concurrentibus, e quibus voluntas ita firma eruatur, ut nonnisi cum facultate fidem frangendi matrimonium, initum fuisset, praesumptio oritur exclusi iuris.

Quia de *perpetuitate* conditionis et pacti iam diximus, agendum est de perpetuitate meri *actus positivi contra bonum prolis*. Actus positivus, absque conditione vel pacto, quo alterutra pars, altera inscia vel contradicente, praevalenti et absoluta voluntate, virginitatis vel libidinis causa, in perpetuum reicit omnes actus per se aptos ad prolis generationem, matrimonium irritat. Etenim, dum ambo coniuges, ob castitatis amorem vel votum, convenire possunt de jure sibi invicem tradendo et simul de ipsius usus exclusione, haud facile intelligitur quomodo unus tantum ex ipsis, absque consensu alterius, ius concedat et ipsius usum perpetuo excludat, mente tantum sua distinctionem faciens, quae utriusque tantum voluntate re valet induci. Si vero contrahens matrimonio abuti in perpetuum hac eadem voluntate intendat, adest altera ratio, quam innuimus de pacto agentes: tunc enim nupturientis consensus ad abusum restringitur. Neque obiici potest ex matrimonio inito cum hac absoluta et praevalenti voluntate perpetuo excludendi quemcumque actum per se aptum ad prolis generationem, plures alios effectus oriri, quibus traditio iuris in corpus haud inutilis redditur: quia nempe mutua conventione inita post nuptias matrimonii usus licitus fit; si vir vi aut metu mulierem cogat ad copulam, non committit fornicationem; copula cum tertia persona adulterium esset. Haec enim omnia vera essent, si matrimonium valeret, quod e contra est probandum; in extremo autem casu, non de bono prolis agitur, sed de bono fidei. Matrimonium absque usu optime concipitur et quandoque datur (ex gr. si alteruter coniux ante consummationem moriatur vel in religionem ingrediatur aut dispensationem obtineat super rato aut perpetuo impotens fiat [26]), dummodo tamen momento contractus, ius absque

---

[26] Cfr. e. g. B. Pontius, *o. c.*, L. I, cap. XVII, n. 8.

usus exclusione, voluntate quam diximus, traditum sit. Componi e contra non potest voluntans tradendi facultatem ad actum, cum voluntate invincibili et perpetua hunc actum omnimode negandi, quin alius contrahens quidquid sciat: tunc etiam valet, sicut pro conditione, principium a Benedicto XIV enuntiatum: « matrimonii substantiae non repugnat matrimonio non uti, sed uti non posse » [27]. Actus positivus quo, voluntate absoluta et praevalenti, nupturiens intendit ad tempus tantum vitare prolem et coniugio abuti, eosdem gignit effectus ac conditio.

Simplex e contra propositum abutendi coniugio, voluntate elicitum quae omnino firma non sit et superari possit, etsi absque limite temporis seu perpetuum, matrimonium non irritat [28].

. *Contra bonum fidei:* actus positivus voluntatis quo contrahens reicit obligationem ipsam ad fidem coniugalem, sive ad tempus, sive in perpetuum eliciatur, matrimonium irritat, quia ius ipsum excludit.

Actus positivus, quo voluntas, modo praevalenti et absoluto, violationem fidei perpetuo intendat, matrimonium irritat; si vero actus ad tempus eliciatur, valent ea quae de pacto diximus. Item, iuxta ea quae de pacto dictum est, simplex propositum adulterandi, etiam perpetuum, coniugii validitati non officit, si a voluntate minus firma et absoluta procedat.

Tenacia in proposito servando *contra prolem,* per se est factum quod contractum sequitur, ideoque validitati aut invaliditati ipsius nec obest, nec prodest. Si tamen firmum istud propositum ante nuptias elicitum, nec revocatum fuerit, ex modo quo homines se gerunt, merito inducitur hanc invincibilem obstinationem in eodem proposito servando, nisi aliis causis subsequentibus determinetur, actum sequi voluntatis, quo ante nuptias bonum prolis fuit exclusum in suis principiis eadem absoluta firmitate. Ex tenacia igitur recte concluditur praesumptionem nullitatis oriri.

Eadem dicenda sunt de tenacia constanti et invincibili *contra bonum fidei,* cuius tamen contemptus post nuptias, legitimae uxoris vel legitimi viri fastidio causari solet.

Concludimus ergo non praesumptionem tantum, sed directam probationem erui:

1. *ex conditione proprie dicta,* sive in perpetuum sive ad tempus adposita;

2. *ex pacto,* sive conditionem includat sive etiam actum voluntatis implicet absolutae et praevalentis in perpetuum vel ad tempus vitandi actus per se aptos ad prolis generationem et libi-

---

[27] Benedictus XIV, *De Synodo diocesana,* L. XIII, cap. XXII, n. 12.

[28] Cfr. e. g. P. Gasparri, *o. c.* ed. 1932, n. 828, qui alios citat.

dinem modo illicito explendi; sive etiam voluntatem contineat absolutam et praevalentem perpetuo vel ad tempus fidem violandi;

3. *ex actu positivo* quo alterutra pars, altera inscia vel contradicente, praevalenti et absoluta voluntate, libidinis vel etiam virginitatis causa, in perpetuum reicit omnes actus per se actus ad prolis generationem; item ex actu positivo quo, voluntate pariter absoluta et praevalenti, nupturiens intendit ad tempus vitare prolem et coniugio abuti; item ex actu positivo quo in perpetuum vel ad tempus violatio fidei intendatur eadem absoluta et praevalenti voluntate.

Merito e contra prasumptio simplex coniicitur:

1. *ex pacto* perpetuo vitandi actus per se aptos ad prolis generationem, absque conditione, cum directe probata non est paciscentium positiva seu absoluta voluntas abutendi coniugio et simul cum perpetuitate propositi alia concurrant, ex quibus voluntatum illud elicientium praesumi valeat insuperabilis firmitas. Haec vero generatim, nisi exclusive, eruitur ex invincibili tenacia in proposito servando;

2. *ex pacto* simili contra fidem;

3. *ex perpetuitate propositi* abutendi coniugio vel violandi fidem, quoties, ut de pacto diximus, aliae circumstantiae non desint, ex quibus voluntas praevalens et absoluta coniicienda sit;

4. *ex invincibili tenacia* in proposito servando, ante nuptias elicito, contra prolem aut fidem, quoties haec insuperabilis firmitas post nuptias alias causas non habeat.

Ex his omnibus patet ex eodem actu voluntatis, sive contra bonum prolis, sive contra bonum fidei directo, eosdem effectus oriri.

Dinus Staffa
S. R. Rotae Auditor.

DE LOCIS SACRIS

DE BASILICA MINORE

Nomen Basilicae communiter hodie tribuitur iis tantum Ecclesiis, quae sive antiquitate, sive magnitudine ac magnificentia alias excedunt, vel quibus Romanus Pontifex hunc titulum cum quibusdam privilegiis tribuit.

Nostrum non est historicas et archeologicas quaestiones dirimere, ut appareat quomodo paulatim Basilicae christianae sint ortae; quomodo nempe e domesticis privatis domibus, in quas fideles ad fractionem panis conveniebant, adepta pace, libere Ecclesiae aedificari potuerint: id peritis relinquimus. Distinctione facta inter Ecclesias urbanas, quae tituli vocatae sunt, et Ecclesias coemeteriales, quae extra Urbem supra martyrum sepulchra erectae erant, id unum assumimus, Basilicas, ex etymon vocis regiam sive regis domum significantes, semper aliquam excellentiam prae aliis Ecclesiis exhibere. Hinc factum est ut non tantum Romae, ubi numerosiores inveniebantur Ecclesiae antiquitate, magnitudine, celebritate insignes; sed etiam extra Urbem, praesertim ex concessione Romanorum Pontificum, aliae quoque Ecclesiae hoc titulo Basilicae decoratae fuerunt. Qua ex concessione, ne vetustioribus Romanis Basilicis aliquid e multiplicato numero detrahi videretur, Majores illae vocari coeperunt, reliquae Minores.

Majores igitur Basilicae tantum Romae habentur, et quatuor numerantur, quae Patriarchales vocatae sunt in memoriam primarum quatuor Patriarchalium Cathedralium: Lateranensis, Vaticana, S. Pauli via Ostiensi, Liberiana. Lateranensis Ecclesia, quae titulo gloriatur « Papalis et Patriarchalis Basilica omnium Urbis et Orbis Ecclesiarum mater et caput » Sanctissimo Salvatori dicata est et utroque Joanne: sedem Summi Pontificis, qua Occidentis Patriarchae praesignat, eius Cathedralis est, cuius etiam sollemnem possessionem capit. Vaticana Basilica sedem Constantinopolitanam repraesentat, quae, quamvis hodie a Romana Sede separata sit, tamen semper sub protectione S. Petri ab ea retinetur. Ibi nunc Summus Pontifex sollemniter consecratur, et ibi sollemnia Beatificationum et Canonizationum peraguntur. Basilica S. Pauli via Ostiensi Alexandrinam sedem, Liberiana Antiochenam exhibent. Cum autem postea Patriarchatus Hierosolymitanus exortus

sit, ei Ecclesia S. Laurentii extra moenia tributa fuit, quae proinde tamquam Patriarchalis habetur quamvis major Basilica non sit. Ita Romae quinque tantum habentur Patriarchales Basilicae, illae nempe supra numeratae; et extra Urbem, si excipias Ecclesias S. Francisci (Bulla *Fidelis Deus*, 4 martii 1754) et S. Mariae Angelorum (Bulla *Omnipotens et misericors Deus*, 11 aprilis 1909) Assisii in Umbria, nullibi Patriarchales Ecclesiae inveniuntur.

Basilicae S. Crucis in Hierusalem et S. Sebastiani in Urbe, licet nec majores nec Patriarchales, tamen simul cum istis septenarium numerum Ecclesiarum efformant, quae a peregrinis visitantur: ac proinde specialibus gaudent gratiis et privilegiis. Ceterae autem Basilicae ubique locorum tantum minores sunt.

Ut autem differentia inter majores et minores Basilicas facilius intueatur, breviter hic quaedam privilegia quibus majores Basilicae decorantur, enucleanda sunt.

Excepta Ecclesia S. Pauli, reliquae tres Cardinalem Archipresbyterum habent cum canonicorum capitulo, quod titulo et privilegiis Protonotariorum supra numerum gaudet. Omnes quatuor Ecclesiae collegium habent Poenitentiariorum sub Cardinalis Majoris Poenitentiarii potestate; earum altare majus Summo Pontifici reservatur, in quo sine eius expressa ac peculiari licentia nemo celebrare potest; anniversarium earum dedicationis diei in universa Ecclesia celebratur; habent Portam sanctam anno jubilaei aperiendam; plurimis ditantur privilegiis et indulgentiis etc...

Canon 1180 Codicis Juris Canonici haec habet: « Nulla Ecclesia potest basilicae titulo decorari, nisi ex apostolica concessione aut immemoriabili consuetudine; cuiusque vero privilegia ex alterutro capite colligantur ».

Quamvis canon per se nullam distintionem faciat inter majores et minores Basilicas, cum in potestate Summi Pontificis sit utrumque concedere titulum, tamen practice ibi agitur de basilicae minoris titulo concedendo. Quae concessiones antiquitus raro omnino et ob peculiares rationes largiebantur, ast hodie majori cum facilitate obtinentur. Ultimo enim quadraginta annorum spatio plus quam quadringentae concessiones a Sacra Rituum Congregatione indultae sunt! Recognitio autem immemorabilis consuetudinis, de qua in canone 1180, cum ad Sanctam Sedem spectet, novae titulo concessioni aequivalet.

Ex dictis inde patet Basilicas minores eas esse, quibus Romanus Pontifex hunc titulum confert, simul cum quibusdam privilegiis.

Ad hunc titulum obtinendum varia a Sacra Rituum Congregatione requisita exspostulantur, quae breviter heic enucleantur.

1°) Templum antiquitate, amplitudine, magnificentia sit clarum. Antiquitas quidem valde relative aestimatur, praesertim si alia requisita adsint. At multum pensanda sunt amplitudo et magnificentia templi, ita ut vere titulus etymologiae respondeat.

2°) Clerus numero sufficiens Ecclesiae addictus sit oportet, ut sacrae functiones, praesertim sollemniores, eo splendore ac frequentia peragi possint, ut decet.

3°) Ad hoc quam mavime confert ut templum sacra supellectili et numero et pretiositate ditatum sit, ut maximo cum decore, liturgia celebretur.

4°) Quae quidem vix obtineri possunt, nisi Ecclesia tuto in omnibus provisa sit quoad cultus expensas. In petitione autem redditus ex quocumque fonte habiti indicandi sunt.

5°) Cum autem majus decus habeatur si Ecclesia corpus alicuius Sancti possideat, ad cuius sepulchrum veneraturi accedere solent peregrini, hoc indicetur, et etiam si aliae reliquiae insignes habeantur, vel in earum defectu, imagines, simulacra etc. quae celebritatem quamdam Ecclesiae praebeant.

6°) Oportet insuper ut Ecclesia sit consecrata.

7°) Cum autem petitio ab Ordinario loci facienda aut saltem commendanda sit, etiamsi Ecclesia sit exempta, debet Episcopus docere quot et quales in sua dioecesi Basilicae exstent, an proposita Ecclesia aliis quovis titulo praestet. Ad hunc finem Sacrae Rituum Congregationi mittantur opuscula, libri, illustrationes arte etiam photographica obtentae, quae Ecclesiae internam externamque formam, structuram, ornatum, magnificentiam, splendorem describant.

Remanet ut verbum faciamus de privilegiis Basilicae Minoris.

Haec recensentur in Decreto *Lucerina* diei 27 augusti 1836 (cf. n° 2744 *Decreta Auth. S. R. C.*, et suffragium super decreto); et tria generatim pro omnibus Basilicis enumerantur: conopaei (italice: Padiglione) usus, tintinnabulum, et si Ecclesia capitulum collegiatum habeat, cappa magna, pellibus armellinis ornata in anteriore parte per hyemem et Cotta super rocchettum, cum cappa deponitur, per aestivum tempus, in vestibus choralibus.

Conopaeum alternis fasciolis rubri et flavi coloris in forma coni efformatum, in summitate habet globum cum cruce deaurata. Pro basilicis minoribus usus auri argentive texturae aut ornatus in eo prorsus excluditur, cum tantum Basilicis majoribus reservetur. Tintinnabulum est fustis campanulam ferens, in vertice habens imaginem Sancti titularis Basilicae, quod conopaeum praecedit in supplicationibus tam intra quam extra Ecclesiam. Cappa magna cum cauda nunquam explicanda, est usualis vestis canonicorum. Haec omnia iam commemorat *Ordo XV* (n. 153) ubi Amelius ca-

nonizationem S. Brigidae die 7 octobris 1391 memorans, refert canonicos S. Petri obviam Summo Pontifici in portis Basilicae concurrentes, simul cum cruce, cappis exornatos, conopaeum et tintinnabulum ferre (*P. L.* 78. 1361).

Sunt vero et alia privilegia quae quibusdam tantum Basilicis singulariter aliquando concessa sunt, uti v. g. palmatoria; quare standum omnino est Litterarum Apostolicarum verbis.

Per se titulus Basilicae nullam Ecclesiae praecedentiam confert, ideoque in suo ordine manere debet quam antea habebat. Quare Ecclesia Cathedralis omnes alias dioecesis Ecclesias et Basilicas praecedit, etiamsi et ipsa Basilicae titulo non sit decorata. Immo antiquitus Ecclesiis Cathedralibus hic titulus non conferebatur, cum ipsae sedes Episcopi sint. Nunc autem plures Ecclesiae Cathedrales hunc titulum expetunt.

Concessio denique tituli Basilicae Minoris semper ex Audientia Sanctissimi fit, postquam S. Rituum Congregatio examini subiecit supplicationes ad cognoscendum utrum omnia requisita adsint ad supplicandum Sanctissimum, si placuerit, pro gratia.

HENRICUS DANTE
Substitutus S. Congregationis Rituum.

DE PROCESSIBUS

DE PROBATIONIBUS IN IUDICIO ECCLESIASTICO CIRCA CONTRACTUS IURIS CIVILIS

Relate ad probationem faciendam *coram tribunalibus ecclesiaticis* ubi de *contractibus ad normam iuris civilis,* quaeritur quaenam norma servanda sit. Aliis verbis utrum dispositio can. 1529 C. I.C. contractus eiusmodi respiciat quoad substantiam ipsorum tantummodo, an se extendat etiam ad modum probationis eorumdem faciendae in foro canonico.

Re quidem vera, dum in canone 1754 « probatio per testes in quibuslibet causis admittitur », aliquando in iure civili, pro quibusdam causis, excluditur probatio per testes, ut. v. g. in art. 1341 Codicis Civilis Gallici: « Il doit être passé acte devant notaire ou sous signatures privées de toutes choses excédant la somme ou la valeur de cinq cents francs, même pour des depôts volontaires, et il n'est reçu aucune preuve par témoins contre et outre le contenu aux actes, ni sur ce qui serait allégué avoir été dit avant, lors ou depuis lec actes, encore qu'il s'agisse d'une somme ou valeur moindre de cinq cents francs », salvis art. 1347, 1348 eiusdem codicis (Confer art. 2721, Cod. Civ. Ital.).

Hinc exsurgit quaestio pratica utrum, non obstante prohibitione iuris civilis in casu, probatio per teste admitti possit in processu coram tribunalibus ecclesiasticis. Responsio videtur sumenda e doctrina et ex iurisprudentia rotali.

A) De iuris canonici scriptoribus

Iuris Canonici Scriptores expresse hanc quaestionem generatim non agitant, exceptis Card Lega *Comm. in iudicia ecclesiastica,* II, pag. 658 et seq. et Lefebvre in *Ephemerides Iuris Canonici,* a. 1946, nn. 3-4, pp. 282-312 (*Théorie des preuves et équité canonique*). Notabiliter in p. 308, nota 1: « Le canon 1529 qui prévoit l'applicatione à la matière contractuelle de la législation civile ne s'applique pas en ce qui concerne la théorie des preuves. Le can. 1529 prévoit en effet « nisi aliud a iure canonico caveatur », or, la théorie des preuves est traitée *ex professo* dans le *De Processibus* ».

Notandum quod Card. LEGA in prima editione tantummodo retulerat generalem legem de admittendis testibus pro omnibus controversiis, dum in secunda editione aperte quaestionem ponit et solutionem enunciat: « Inde nascitur quaestio, quum enim co-
« dex gallicus civilis et italicus et alii prohibeant quominus obli-
« gationes per contractus initae, saltem graviores possint probari
« per testes, nisi certa concurrant adiuncta; quaeritur an in foro
« ecclesiastico hae obligationes, nihilo secius, probari possint per
« testes, ad praescriptum can. 1754.

« Opinor etiam ad probationis modum se extendere c. 1529,
« prouti patitur subiecta materia quae versatur circa obbligationes
« e contractibus enatas; hisce de rationibus; et in terminis infra
« statuendis.

« Expressa est can. 1529 voluntas etiam de re ecclesiastica
« contractus ineundos esse, servatis praescriptionibus iuris civilis
« in territorio vigentibus; eisdem cum effectibus (hoc notetur) a
« civili iure statutis. Iamvero quamvis sit alia res obligatio ipsa,
« et alia probationis ratio; tamen ex praescripto legis ratio proba-
« tionis statuitur ab ipso codice civili, et hinc proxime attingit
« ipsam obligationem seu eiusdem executionem, seu solutionem in
« genere; adeo ut ipsa forma contractus, videlicet scriptura re-
« quiratur non semel ad substantiam seu validitatem actus. Canon
« autem 1529 vult servari leges civiles tum quoad obligationes tum
« quoad solutiones et cum iisdem effectibus.

« Huiusmodi quaestio habetur quum Titius contendit ex con-
« tractu civiliter inito iuxta italicum codicem sibi deberi mille
« libellas a Caio clerico reo convento, et obligationem probare in-
« tendit per testes. At reus conventus contradicit, advertens eius-
« modi obligationes ex praescripto art. 1341 probari per scripturas,
« non per testes; unde enascitur quaestio incidens; et haec resol-
« venda est a iudice vel applicata regula c. 1754 in quibuslibet
« causis admitti probationem per testes; vel potius ex regula Co-
« dicis italici, nempe huismodi obbligationem per scripturam, non
« per testes probari; at cuinam regulae iudex se conformare debet?

« Opinor ex dictis ius esse reo convento reiiciendi probatio-
« nem per testes, quum lex iuxta quam inita est obligatio eius-
« modi probationem reiicit. Nam lex ecclesiastica hisce in ma-
« teriis non dedignatur sequi et acceptare cum omnibus suis ef-
« fectibus praescriptiones legis civilis; quae iubent obligationes
« ad certam pecuniae summam pertingentes per testes non posse
« probari; unde ius tribuitur ei a quo obligationis exsecutio seu
« solutio exigitur, ut obligationis valor scripturam non per testes
« evincatur. Neque posset subsumi c. 1529 in fine restringi adoptio-
« nem legis civilis iis verbis: nisi aliud iure canonico caveatur:

« siquidem ex contextu et ex subiecta materia limitatio in canone « apposita respicit non modum probatione sed ipsam materiam « et formam contractus; uti determinant cc. sequ. qui agunt de « alienatione rerum ecclesiasticarum. Inquam ius tribuitur ei a « quo solutio exigitur non admittendi probatione per testes. Ver- « samur autem in contentiosis in quibus quis suo iuri renunciari « potest; quare si ille cuius interest huiusmodi probationem admit- « tat, quia, per se, lex canonica in omnibus causis admittit pro- « bationem per testes, iudex non potest ipse, ista de causa, ex « officio, probationem per testes reiicere.

« Quamobrem legis civilis praescriptiones per testes proba- « tionem vetantes, non secus ac peculiaris conventio qua partes « se obligent, in ipso contractu ineundo, in casu contentionis, circa « initam obligationem, non recurrendi ad probationem per testes, « quam taxative excludunt ex pacto, non prohibetur a lege cano- « nica edicente, testes in quibuslibet causis admitti. Hoc enim « praescriptum constituit normam generalem canonicam, quae pa- « titur exceptiones uti quaecumque regula, quippe in toto iure « generi per speciem derogatur ». Hucusque E.mus Card. Lega.

B) De iurisprudentia S. R. Rotae

Antequam iudicium nostrum de huismodi doctrina submisse proferamus, quaedam referre oportet ex iurisprudentia Rotali post Codicem Iuris Canonici, quae in sex sententiis coram R. P. D. Francisco Parillo et coram R. P. D. Andrea Jullien decisis continetur:

In causa *Neapolitana* (Decis. S. R. Rotae, XVII, p. 388, n. 9-10) R. P. D. Parillo opinionem tenuit Cardinali Lega conformem: « Locatio-conductio operarum vel operis solo partium consensu perficitur, nec ad eius valorem scriptura necessaria est, etiam iure civili italico. Ad probationem tamen quod attinet, si locatio venditio summam excedat quingentum libellarum (prout cuiusvis generis obligationes), scriptura evinci debet, nec probatio per testes admittitur nisi adsit initium probationis scriptae, vel de casu agatur, in quo creditori possibile non fuit scriptum documentum habere, vel illud fortuito in sequelam maioris vis periise (art. 1341, 1347, 1348, Cod. civ.). Can. 1529 praescribit: Quae ius civile... Haec nova legis nostrae dispositio vim obligandi habere incoepit a die 19 maii 1918 ».

Idem R. P.D. Parillo in una « *Appropriationis indebitae et poenarum* » (Decis. S. R. Rotae, XIX, pag. 386, n. 15) principium de servanda lege civili circa probationis modum denuo tuetur; sed in una « *Sancti Iacobi de Chile* » (Decis. S. R. Rotae, XIX, pag. 292,

n. 25) clarissimus Tribunalis nostri Praelatus Auditor in aliam inclinabat sententiam, congruis adductis rationibus: « Canon 1529 opportune cavet « quas ius civile... ».Sed haec dispositio non ita stricte est accipienda ut ecclesiasticum iudex cancellos civili legis egredi nunquam valeat, *praesertim cum de materia agatur, quae magis immo potissime participat de canonica*, quam de civili lege territorii. Idque maxime si de obligatione quaestio fiat, quam civile ius nullitatis nota non plectit sed actione tantummodo non communit ne forum litibus impleatur, hominumque pax turbetur per diutaurnas indagines ad obligationem eruendam. Siquidem, si de obligatione ipsa mutuo suscepta indubie constet e paciscentium confessione deque eius sinceritate dubium non moveatur, atque damnum piae causae non impendat, tunc quaestio unice in his terminis maneret constricta: an nempe ille qui obligationem implere debet, possit eam spernere quia scripto non confecta. Verum, his in adiunctis non debet iudex ecclesiasticus actionem denegare, prout non dubie docet Card. De Luca: « Ubi lex praescribens certtam sollemnitatem seu formam, habet expressam causam, ob quam Legislator illam inducere professus est, tunc si ita constet de sinceritate actus, ut tollatur ea suspicio, ob quam illa maior solemnitas inductas est, adhuc actus sustinetur » (Card. De Luca, Theatr. veritatis et iust.; de testam., disc. 10, n. 12) ».

Studiose perpendendae adhuc sunt duae sententiae a Turno coram *R. P. D.* Jullien latae: in una *Tolosana* (Decis. S. R. Rotae XIX, pag. 263, n.2) legitur: « Causa igitur exigenda est ad normam eorum quae ius civile gallicum de contractibus statuit, servatis vero in specie praescriptis canonum de processibus. Quapropter RR. PP. DD. prae oculis habuerunt quae Codex Civ. Gallicus statuit de deposito... Ad rem pariter spectat principium iuris canonici sancitum in c. 1754: Probatio per testes in quibuslibet causis admittitur »; idem S. R. Auditor in alia *Messanen.* (Decis. S. R. R., XXVIII, p. 682, n. 2) circa locationem operis et refectionem damnorum asseruit: « Allegantur heic iura civilia ad normam c. 1529 Codicis Iur. Can.; sed pro ordine iudiciario servando ad causam istam in foro nostro definiendam, sumantur oportet normae ex libro IV eiusdem Codicis Iuris Canonici (cfr. c. 1555, 2), et in specie pro probatione per testes, quae vi canonis 1754 in quibuslibet causis admittitur, sub iudicis tamen moderatione, secundum modum praefinitum in capite II, tit. X, lib. IV ». *Tandem sexta sententia rotalis* in hac materia est eiusdem R. P. D. Jullien in una *Aleppen.* Maronitarum (Decis. S. R. R., XXX, p. 241 n. 4) ubi in quaestione hereditatis referuntur sequentia: « Quaestio an Ricardus De Ghantuuz Cubbé sit heres patrui Raphaelis, sat implexa, versatur ergo circa negotia iuridica, inter laicos expleta, ad nor-

mam iuris civilis quo regebantur ii de quorum hereditate agitur. Eiusmodi negotia probanda sunt ad normam eiusdem iuris... Si igitur D.nus Ricardus De Ghantuz Cubbé intendit agere in causa qua heres Raphaelis, exhibeat ad acta instrumentum ex quo, ad normam iuris civilis vigentis in loco domicilii eius de cuius seu de quorum hereditate agitur, plene constet ipsum Ricardum esse heredem universi iuris Raphaelis, aut, si plures adsint heredes, ex quanam parte ».

Antequam mentem seu opinionem nostram proferamus in hac controversia, notare oportet illam ultimam sententiam non adversari aliis duabus sententiis a R. P. D. JULLIEN prolatis, nam in hac agebatur de quaestione mota inter actorem Ricardum De Chantuz Cubbé et conventum Archiepiscopum Akras et tunc iudex renuit iudicare de titulo hereditatis iuxta normas fori ecclesiastici quia illa « quaestio de probando titulo heredis circa negotia inter alios acta et non adeo connexa (erat) cum causa in hoc S. Foro solvenda, ut normis competentiae derogetur ».

Praetermisso iudicio de merito huius decisionis in casu (adversus quam scribere in appellationis sede rati sumus), ad theoriam generalem quod spectat censemus opinionem Exc.mi Decani JULLIEN magis respondere traditioni Ecclesiae et sensui Codicis Iuris Canonici. Nam constat, ex cap. 5, de probat. et cap. 10 de fide instrumentorum, *auctoritatem testium in iure canonico praevaluisse auctoritati instrumentorum* quia instrumenta sunt testationes mutae et surdae, cum probatio per testes semper loquitur, ratiocinatur et interrogata respondet. Etenim docebat REIFFENSTUEL, *Ius canonicum*, II, tit. 22 *De fide instrum.*, n. 283, 284, 285): « Probatio per testes, simpliciter loquendo, est validior digniorque probatione per instrumenta... Hinc acuitas vivae vocis fortius, atque efficacius, movet animum auditoris, ac plurimum in excutienda veritate vox ipsa aliquid dicentis affert... Accedit quod probatio per testes sit vera et naturalis, iurique divino consona, iuxta illud Salvatoris, Matth., cap. 18,: « In ore duorum aut trium testium stat omne verbum ». E contra probatio per instrumentum est extraordinaria, et artificialis, estque quodammodo quid prodigiosum ut credatur pelli animalis mortui (hodie diceret salsus Doctor: abiectis putrefactisque linteis impressis...), cunctis tacentibus ». Si vero in iure civili aliqua diffidentia contra probationem per testes inducta est, ratio in hoc quod mala fides hominum et improbitas factae sunt ingentes; quae omnia incommoda vitari possunt in foro ecclesiastico per speciales normas de testibus et attestationibus editas. Insuper vox « quibuslibet » videtur deliberate adhibita in c. 1754 ad significandas omnes causas cuiusvis generis circa mo-

dum illas probandi et tunc. c. 1754 derogat canoni 1529 si primus intelligitur de modo probandi contractus et non tantum de illorum substantia et existentia.

Hinc amplectendam non ducimus doctrinam Card. Lega suprarelatam nec R. P. D. Francisci Parillo opinionem, exceptis forte quae disseruit uti supra vidimus in causa *S. Iacobi de Chile*: etenim neque unus neque alter congruenter demonstraverunt Legislatorem nostrum canone 1529 Ecclesiae constantem traditionem in hac re abiudicasse ac quasi abnecasse, quam aperte confirmasse potius ac renovasse videtur in canone 1754.

Joannes Pendola
Promotor Justitiae S. R. Rotae

DE EXCUSSIONE MULIERIS IN PROCESSIBUS IMPOTENTIAE ET INCONSUMMATIONIS

(de norma sexta Decreti S. Officii diei 12 junii 1942)

NORMA.

Excussio mulieris, quae est pars in processibus impotentiae et inconsummationis, semper fiat coram Tribunali, *sed a medico.*

LEGISLATIO.

DECRETUM S. C. S. OFFICII « *De quibusdam cautelis adhibendis in causis matrimonialibus impotentiae et inconsummationis* », die 12 junii 1942 datum. (A. A. S., vol. XXXIV, pag. 200 seq).

Cfr. INSTRUCTIONEM S. C. S. OFFICII an. 1858 et an. 1883; C. J. C. cc. 1976, 1979 §§ 2-3: REGULAE SUPER RATO *S. C. De Disciplina Sacramentorum*, ed. altera an. 1934.

SUMMARIUM: 1) Introductio:Motiva seu rationes Decreti 12 junii 1942; 2) De norma sub. n. 6; 3) quando norma haec urget; 4) quid in casibus difficilioribus ad habendum medicum.

1. Decretum S. C. S. Officii diei 12 junii 1942 quasdam praescribit normas seu regulas in causis matrimonialibus impotentiae et inconsummationis adimplendas, ut modestiae virtuti, meliore quo fieri potest modo, consulatur.

Semper ab Ecclesia singulari cura provisum fuit ut in causis matrimonialibus impotentiae et inconsummationis necessitas juridicae probationis assequendae, per corporalem coniugum inspectionem, apte componatur cum naturali et christiano pudicitiae sensu, seu, juxta can. 1979 § 3, « servatis plene christianae modestiae regulis » [1].

Hac ducta sollicitudine Ecclesia coniugum physicum examen, praesertim vero mulieris, tantum si necessarium ad juridicam probationem assequendam peragi praescribit; et si « ex adiunctis inutile evidenter appareat » (can. 1976) omittere jubet. Ita S. C. De

[1] In Instructione S. C. S. Officii an. 1858 legitur: « .... quam sancte in omnibus huiusmodi inspectionibus cavendum sit, ne quidquam agatur quod divinae legi et castitatis virtuti adversetur ».

Cfr. etiam art. 90 Regularum « *super rato* » ed. a S. C. De Sacramentis die 7 martii 1923.

Sacramentis in citatis Regulis statuit: « Inspectio corporis uxoris omittitur, utpote inutilis,... a) si consummatio haberi non potuit, quia nec tempus nec locus nec modus adfuerunt matrimonii consummandi; b) si certo jam constet de mulieris defloratione » (art. 86. Cfr. can. 1976). His duobus casibus duos alios S. C. S. Officii, suo Decreto diei 12 junii 1942, addendos mandavit, juxta articulos, qui sequuntur: « a) inspectio omitti poterit si, attenta partium et testium morali excellentia ac serio pensatis eorum animi dispositionibus necnon ceteris adminiculis aut argumentis, Ordinarii judicio, plenissima jam habeatur probatio de impotentia vel inconsummatione », scilicet si argumentum morale tali polleat claritate ut omne auferat dubium et plena assecutae probationis evidentia habeatur: quod tamen judicio Ordinarii definiri debet [2].

« b) omittitur mulieris inspectio, si ex inspectione viri plene constiterit de huius incapacitate ad matrimonium consummandum ».

Haec autem Ecclesiae sollicitudo naturalis et christianae modestiae tutandae depraehenditur etiam in illis regulis seu normis praecipientibus notas proprietatesque personarum, quae deputari possunt ad physicam inspectionem peragendam [3].

2. Eadem adhuc sollicitudine ducta Ecclesia, vi Decreti S. C. S. Officii diei 12 junii 1942, statuit *excussionem* mulieris, quae est pars in processibus impotentiae et inconsummationis, si interrogationes, ad normam juris paratae, in rem *specificam* inconsummationis vel impotentiae vertant, fieri debere non a ministris Tribunalis sed *tantum a medico*, semper tamen, uti patet, coram Tribunali; qui medicus sit « religione, moribus, aetate gravis, ab ipso Ordinario deligendus, omni exceptione major » [4].

Totius Decreti *haec tantum norma* - sub numero 6 recensita - vere *nova* dici potest. Et postulanti huius creatae normae rationem, facile, ni fallor, respondendum erit: eam invenies in toto contextu Decreti, ubi, uti diximus, sollecitudo Ecclesiae apparet tutandae, una cum possibilitate assequendae juridicae probationis in processibus super rato et impotentiae, christianae modestiae ac pudicitiae virtutis [5].

---

[2] Haec autem praescriptio - « *Ordinarii judicio* » - quam Decretum habet, ni fallor, mihi videtur valida seu tenere tantum - juxta mentem legislatoris - in processibus inconsummationis: non vero in processibus impotentiae, ubi, cum ordo stricte judicialis servandus sit, *judicium* illud ad judices Tribunalium, ad normam juris, spectare videtur.

[3] Cfr. can. 1790 §§ 2-3; Decretum S. C. S. Officii cit., nn. 2, 3, 4, et Regulas « *super rato* » S. C. De Sacramentis, nn. 84-95.

[4] N. 6 cit. Decr.

[5] « Les juges ecclésiastiques trouveront dans ce décrete le rappel de mesures anciennes et plusieurs prescriptions nouvelles tendant à assurer une parfait mo-

Ad auferendum periculum admirationis vel scandali (certe aliquando pusillorum) et ad dignitatem sacerdotalem Tribunalis ministrorum tutandam, cautum est ut interrogationes vitam coniugum maritalem seu coniugales relationes respicientes proponantur mulieri tantum *a medico*, qui, certe, cum de re agatur quae ad munus suum attinet, nullius admirationis vel scandali causa erit.

Ceterum, quidquid sit de eius fine seu ratione, norma haec cum sit *praeceptiva* (excussio mulieris... *fiat*... a medico), semper fideliter adimplenda est.

3. Sed non desunt contra praefatae normae observantiam aliquid obiicientes.

Ita: *Tribunal B.* significavit: « Cum ex examine tum oratoris tum partis conventae constet hanc habuisse ante matrimonium filiam, cuius pater orator certo non fuit, videretur omittenda excussio mulieris a medico, utpote inutilis ».

R. Iuxta explicatam normam, excussio a medico omitti potest *tantum* si faciendae non sint specificae interrogationes de re intima seu sexuali; quod autem mulier ante suum matrimonium amiserit propriam physicam virginitatem, non inde sequitur excussionem a medico inutilem esse. Nec inutilis videtur excussio praefata, cum non adfuit inspectio mulieris physica. Etenim tum in primo tum in secundo casu, adhuc *necessitas* illas specificas sexualium relationum interrogationes proponendi existere potest; *ex qua necessitate obligatio exurgit juridica* opus medici invocandi, qui illas proponat interrogationes. Nequit proinde haec judicialis excussio concipi uti complementum quoddam inspectionis corporalis mulieris; statutum sextum enim, etsi statim post sermonem de inspectione corporali in praefato Decreto habeatur, ad *excussionem* - qua talem - mulieris referri debet [6].

Inutilis tantum dici potest excussio a medico, proindeque omittenda, quando, tum in causis impotentiae tum inconsummationis, nulla habeatur necessitas dictas interrogationes faciendi,

---

destie chretienne dans les examens médicaux auxquels ces procès donnent lien ». Ita commentavit Decretum E. Bergh in *Nouvelle Revue Theologique*, n. 2 (77 an., T. 67, 2 P.) mai-juin 1945 p. 238 (846).

[6] Approbandus quare haud videtur ordo quem tenuit F. Regatillo in opere *Jus Sacramentarium*, Ed. Sal Terrae 1946, v. 2, p. 422, n. 644, qui normam sub n. 6 Decreti - de excussione sc. mulieris - refert in art. « de inspectione corporali » (p. 422, art. 2, n. 644) et non initio Cap. IV, « de approbationibus », n. 637, ubi « de depositione partium ».

Sicut minus propria videntur verba quae Salmanticenses apposuere uti titulus explicativus Decreto S. Officii: « Decreto *Qua singulari*, sobre la *inspección* corporal de los cónyuges en ciertos casos », *Código de Derecho Canónico*, Madrid, 1949, ap. VI, p. 996. Decretum enim in n. 6 de excussione simpliciter loquitur mulieris, normam juridicam statuens, quae vera innovatio est et ratio praecepua, ni fallor, totius Decreti.

v. g. si evidens sit inconsummatio matrimonii, cum nec tempus nec locus nec modus adfuerunt matrimonii consummandi, in casu, nempe, sic dictae *coartatae;* vel si ex inspectione viri plene constiterit de huius incapacitate ad matrimonium consummandum, ita ut interrogatio mulieris quoad conamina consummationis omnino videatur superflua.

4. Tribunal vero *T.* alia significavit: « Tribunal nostrum numquam satisfecit normae praefati Decreti S. Officii, etsi eam bene intellexisset et prae oculis semper habuisset; et causae inobservantiae sunt quae sequuntur: si non semper impossibile valde tamen difficile est invenire medicum vere peritum, religione, moribus, aetate gravem omnique exceptione majorem, qui *simul* paratus sit *et tempus* habeat pro interrogatorio actricis vel oratricis. Non raro enim accidit medicos huic Tribunali notos *vel* qualitatibus peculiaribus, a jure praescriptis carere, *vel* tempus non habere, *vel,* quod magis magisque accidit, aemolumentum magnum exigere, quod Tribunal solvere nequit ».

R. Tribunal, meliore quo fieri potest modo, curet ut pro dicto interrogatorio habeatur medicus, uti praescribit praefatum Decretum S. C. S. Officii.

Si autem medicorum carentia revera absoluta existat, ita ut nullo modo provideri possit, hoc S. C. S. Officii significetur, *dispensationem implorando.* Ordinarius et, a fortiori, Tribunal ipsum facultatem sese dispensandi ab observantia dictae normae non habent. Si tamen (sicut Tribunal F. notum fecit) medicus rite citatus non comparet cum mulier excutienda erit et rationes graves adsint, quae suadent ne sessio differatur, pro isto casu tantum Tribunal procedere ad excussionem potest sine medico. Quod tamen in actis referatur.

Tribunal - tertio obiicebatur - impar est ad solvendas pecunias, quas medici hodie exigunt etiam unice pro excussione mulieris. Non Tribunalis erit solvere pecunias medico. Etenim expensae omnes a parte, cuius interest, solvendae erunt. Si autem pars, ad normam juris, gratuitum patrocinium obtinuerit, Tribunal semper dictum praescriptum observare debet, nec facultatem sese eximendi ab ipsius observantia, in casu, habet. Quare Tribunal vel ipsumet, si possibile, expensas medico solvebit, vel medicum inveniet, qui sine aemolumento paratus sit proprium dare opus: si tum primum tum alterum impossibile erit, a competenti S. Congregatione, sc. a S. Officio, dispensationem imploret; quam, si obtineatur, in actis processus significare semper curabit.

VINCENTIUS FAGIOLO
Off. S. C. de disciplina Sacramentorum

DE CAUSIS BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

COLLEGIUM MEDICORUM

APUD SACRAM RITUUM CONGREGATIONEM AD EXPERIMENTUM INSTITUITUR PRO DISCUSSIONE MIRACULORUM IN CAUSIS BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

Severissime Ecclesia semper sategit ut miracula, quibus divina Providentia solet sanctitudinem cohonestare, plane invicteque probarentur, id omne exquirendum decernens quod ad effectum certitudinis adsequendae sive iuris sollemnitas, sive scientifica ratio, sive denique ars uti aiunt critica exsposcere viderentur.

Et Codicis sane disciplina diligentiis et cautionibus seu iuridicis seu scientificis haud carens depromitur; sapientissimis enim inhaeret principiis quae S. R. C. iurisprudentia sibi acquisivit decursu saeculorum, ope praesertim canonistarum quos inter eminet BENEDICTUS XIV qui suo egregio opere *De servorum Dei beatificatione deque beatorum canonizatione* sagacissima cum industria nedum praxim seu proceduram sed ipsam criteriologiam perfecit, atque, pro temporum opportunitate, fere definivit.

Quominus tamen omnino perfectam eam praedicare possimus saltem quoad miraculorum excussionem, ipsa prohibet immutatio quae recentissimis temporibus ad experimentum inducta est, quare asserta miracula ad beatificationem aut canonizationem proposita decretum est pro prealiminari examine non amplius committi congregationi antepraeparatoriae prout lex Codicis fert, sed cuidam plurium peritorum consilio, quod, si res feliciter evenient, stabiliter erit S. R. C. attribuendum.

Quo facilius huius immutationis momentum et extensionem deprehendamus liceat quam brevissime vigentem hucusque referre disciplinam quae sive probationem sive discussionem respicit miraculorum, antequam, terminis hodiernae innovationis expositis, utilitatis eiusdam ostendamus argumentum.

1 - Codicis disciplina quoad probationum confectionem earumque discussionem.

a) Ad miraculorum probationes imprimis quod attinet lex Codicis exigit testes qualificatos et authentica documenta.

Can. 2020 par. 7 praescribit: « Miracula semper probanda sunt per testes de visu et contestes »; codex videlicet testes exigit qui de scientia propria facta rerumque adiuncta adminiculatim referre valeant prout ipsis immediate innotuerint.

Ex his porro nudis depositionibus haud certa arguitur morborum definitio seu v. diagnosis aut prognosis quin peritorum et praesertim medentium accesserit argumentata declaratio; iniuria tamen eas parvi dixeris momenti, si allatas inveneris criticis illis interrogatoriis quae sive fidei Promotor sive peritus qui tribunali inquirenti adsistit ad normam c. 2088 par. 3 proponere tenentur et de facto proponunt ad effectum scientificae et iuridicae certitudinis assequendae, eo vel magis quod ipsi medentes semper interrogandi sunt (c. 2028), utpote qui praecipui habeantur testes de visu; ceteri autem argumentum historicum magni ponderis saepe saepius offerunt, quia eorum depositiones natae sunt medentium declarationes et deductiones confirmare et complere-immo et infirmare quoque-diagnosim vel prognosim ipsorum corroborando vel minus, adiunctaque sanationis ex diuturniore forte experientia vivide revelando et describendo iudicibus.

Testibus igitur de visu Codex praecipuam probationis vim attribuit si, uti supponitur, fide digni sint et de essentialibus rerum adiunctis revera informati; non tamen exclusivam.

Adsunt enim et documenta quae (c. 2019) iuridicam probationem perficere valent: documenta imprimis quae anamnesim ac diagnosim exprimunt, alia quae morbis adhibita remedia produnt; adsunt praeterea radiographicae tabulae quae maximam praeseferre possunt auctoritatem quotiescumque de morbis agitur quorum malitia interioribus insidet latebris ac proinde vera sanatio in ipsis pariter perfecta conmostrari debet; alia denique quae sanati condicionem post praeternaturalem interventum adamussim describunt. Sed interim haud excluduntur de auditu testes, praesertim si de auditu a videntibus; hi indirecte licet cognita adminicula referre valent utillima, immediatorum testium novis indiciis confirmare, novas fontes informationis prodere, medicorum referre praehabita iudicia; ipsique immo directum testimonium praebere de extrinsecis miraculi elementis, uti e. g. de precibus certo Dei famulo oblatis ad impetrandam sanationem aegroti. Iudex integram totius rei historiam sibi ideo comparare potest, lacunas ac dubita-

tionis causas, ex generica forte aliorum declaratione exortas, praecavendo.

Sed prae ceteris, sanati ipsius lex expetit testimonium quod sive testium sive medentium responsa quam maxime corroborare debet pariter ac inspectorum responsum qui decursu processus eundem sanatum examini subiicere tenentur. Idque quoad probationum confectionem.

b) Processualibus autem actis ad Sacram Rituum Congregationem relatis, bina ad normam Codicis exquirenda sunt peritorum officialium iudicia seu vota quae praeliminari ratione unumquodque miraculum scientifica methodo cribratum ostendant. Huiusmodi periti ab Emo Card. Ponente seu causae Relatore, audito Fidei Promotore, inter clariores rei medicae seliguntur, ut praecipue duplici respondeant quaesito: 1) utrum si de sanatione agatur is, qui eam consecutus dicitur, vere sanus haberi debeat; 2) utrum factum taquam miraculum propositum per naturae leges explicari possit necne ». (c. 2119).

Officialium vota breviter sed dilucide conscripta esse debent, rationibus fulta, quibus auctor suas conclusiones comprobare studet. Si ambo periti miraculum in casu excludunt, discussio iuridica ipso facto evadit impossibilis, alioquin « positio » conficitur pro congregatione antepraeparatoria, officialium votis aucta, quibus adligantur: informatio advocatorum, summarium depositionum testium, Promotoris animadversiones ac patronorum responsiones.

Consilio huic antepraeparatorio, uti vocant, praeest Cardinalis Ponens, sed iudices uni sunt consultores, seu praelati seu theologi, qui suum suffragium legunt, sententiam proferunt, quae a Secretario S. R. C. adnotatur, instrumentum dein Promotori tradunt, quod novis concinnandis animadversionibus inservire poterit. Si binae porro ex tribus adstantium partibus negativum protulerint responsum, gradus a congregatione antepraeparatoria ad praeparatoriam fieri nequit (cc. 2107, 2120) nisi re a Card. Praefecto Romano Pontifici delata, is aliter faciendum duxerit. Si vero res felicius evenerint, ad ulteriora, prout fert formula, approbante Summo Pontifice, procendi posse decernitur.

Sed tunc novus peritus necessarius est, qui duorum iam favorabilium, uti supponitur, peritorum sententiam denuo sub luce animadversionum Promotoris cribret exindeque scriptum votum depromat. Quodsi bini priores haud fuerint favorabiliter concordes in affirmando miraculo, quartus officialis peritus deputandus est (c. 2122), qui de miro casu acriori disputet ratione.

Paratur itaque altera discussio quae intimius rem perscrutabitur novis adductis animadversionibus et responsionibus super

noviter deductis a tertio vel quarto etiam perito aut consultoribus, et ad effectum conficitur « nova » positio pro congregatione praeparatoria.

Consilio preaparatorio de more praeest Card. Praefectus, consultores omnes suffragium mere consultivum proferunt soli Cardinales iudicium, discussione orali praemissa, dant. At ipsimet novos inducere possunt peritos, novas decernere suppletorias instructiones (c. 2122) ut, si casus ferat congregatione praeparatoria iterata, utrum ad ulteriora procedi possit, edicere tandem valeant.

Ubi graves dubitationis causae seu rationes fere evanuerint, transitus ad congregationem generalem coram Romano Pontifice possibilis fit. Tunc *novissima* paratur positio cum fidei Promotoris adnotationibus ac advocatorum responsionibus, documentis additis quae forte nuper reperta sint. (cc. 2109 2113); Cardinales et consultores dein coram Pontifice sollemniter conveniunt suffragium tantum consultivum omnes laturi, sententia de valida miraculorum probatione uni Supremo Iudici reservata. (c. 2114).

c) Ex modo breviter relatis liceat animadvertere haud levis ponderis videri miraculorum discussio ad normam Codicis peragenda: triplici interlocutorio suffragio sententia de eodem mirarulo paratur, neque solis consultoribus theologis negotium concreditur discutiendum verum etiam tribus vel quatuor peritis officialibus qui libere tabulis processualibus uti possunt, secreto proteguntur, novas investigationes explere, principiis denique suae scientiae unice inhaerere tenentur. Nec satis. Adsunt semper medicorum a curatione iurata responsa, promotor ipse ac causae patronus suis medicis, consilii causa, usi sunt, binos denique iam tribunal inquirens deputavit peritos qui sanatum undique explorarunt, quorum omnium argumentata declaratio prostat in actis. Hucusque productae animadversiones Promotoris satis conmostrant qua scientifica severitate lex urgeat pertractandam quaestionem quae sua ipsius implicatione graves undique prodit difficultates.

Et tamen Ecclesiae sollicitudo erga gravissimum beatificationis et canonizationis negotium his omnibus iuridicis munimentis ac scientificis industriis haud satisfacta visa est.

2 - Hodierna immutatio quoad miraculorum discussionem in S. C. R. peragendam.

Iam nonnullis abhinc annis nisi necessitas saltem opportunitas prudentioribus viris emerserat disceptationem miraculorum praeliminarem solis peritis committi debere ut scientificum totius discussionis fundamentum in tuto positum haberetur non ex responso duorum vel trium singulorum licet clarissimorum officia-

lium, verum ex iam collato suffragio plurium peritorum in re medica insigniorum qui casui undique scientifica ratione studere deberent deque morborum diagnosi ac prognosi necnon de clinicis medicorum refertis quoad assertam praeternaturalem sanationem iudicium plurime exploratum prodere valerent. Utilitas pariter quam evidens visa fuerat difficultatibus Promotoris responsiones offerri quae non ab uno advocato licet sollertissimo ac argumentationibus unius vel alterius periti officialis innixo conficerentur, verum quae directe ex collato eoque plurime illustrato consilio peritorum productae fuissent. Num tantum ampliori numero peritorum amplior fides tribui exposcebatur?

Ex audientia SS.i quadam, anno 1948 habita, E.mus Card. R.S.C. Praefectus decisionem protulit quo in experimentum ad annum Commissio aliqua medicorum instituebatur, quae in excutiendis miraculis apud S. R. C. operam praestaret, immutata procedendi ratione, quae ad normam Codicis hucusque servata est.

Summis capitibus constitutionem novi instituti ac eiusdem agendi rationem referemus.

a) Commissio medica constat praeside eiusque vicemgerente et tribus clarissimis re medica peritis, qui in explendo miraculorum examine coadiuvantur a plurium consilio medicorum, qui singulari peritia praediti sint in dignoscendis et curandis specificis morbis; omnes decreto Card. Praefecti nominantur.

Commissionis est imprimis interrogatoria redigere, quae morbi naturam ac perfectam sanationem subsequutam exquirant testibus clinice collustrandas, et de relatis actis praevium iudicium ferre quoad sufficientem informationem, antequam in probationum summarium inserantur. Ipsius pariter est binos ex auxiliaribus medicis delegare, qui separatim casui studeant de eoque scripto referant.

b) Iussu praesidis *positio* aliqua conficitur ex summario depositionum ac binis praedictis votis peritalibus, quae subiicitur plenario commissariorum consilio, quibus, praeter binos illos peritos, tres alii ex auxiliaribus adduntur, quique omnes referre scripto debent quid et quibus rationibus sentiant circa morbi naturam eiusque prognosim deque praeternaturali in casu causalitate, praemisso congruo temporis intervallo, mentem aperiant.

Plenario indicto conventu, suffragiisque praelectis, fit sub ductu praesidis discussio ex qua conclusiones, praesente fidei Promotore, definiuntur. Conclusiones vim habent si probatae fuerint saltem a binis tertiis partibus adstantium, alioquin res incerta novis investigationibus instruetur et definietur nova inducta plenaria discussione. Si conclusio tandem fuerit haud favorabilis miraculo, tunc Summus Pontifex quid agendum sit decernet; si vero favorabilis, decreto Card. Praefecti ad ulteriora procedetur. Paratur

itaque specialis « relatio » typis imprimenda quae suffragium conclusivum commissionis refert rationibus undique fultum quibus cohonestatur, quaeque Cardinali Praefecto remittitur ut advocatis pro informatione conficienda, Promotori fidei vero pro animadversionibus parandis de more trasmittat. His productis commissionis est respondere quoad omnia quae iudicium peritale respiciant, advocati vero quoad reliqua obiecta.

c) Suppressa idcirco congregatione antepraeparatoria, positio conflatur pro praeparatoria votis ac relatione commissariorum aucta, referens praeterea summarium depositionum, animadversiones Promotoris patronique responsiones, prout de more.

Sequitur praeparatoria congregatio in qua Cardinales decisorium proferunt iudicium, consultores vero merum consultivum suffragium. Si difficultates supersint, novis additis animadversionibus novisque commissionis medicae ac advocatorum responsis, *nova* paratur positio pro iteranda congregatione praeparatoria. Reliqua prosequentur prout de iure.

Idque quoad terminos hodiernae immutationis. Quam brevissimas adnotationes liceat addere.

d) Iam legentibus patet immutationem relatam, licet ad experimentum unius anni inductam-quare leges Codicis cc. 2120 2121 2139 etc. suspensae manent quoadusque decretum hodiernum sustinebitur-sapienter componi cum disciplina seu praxi hucusque servata, novitatem proinde continere, quae perficit non destruit veterem iurisprudentiam.

Loco congregationis antepraeparatoriae, quae theologis consultoribus unice componebatur, nova sufficitur species congregationis, quae, licet ecclesiastica iurisdictione haud muniatur, exclusive pollet eaque maiori peritali auctoritate.

Adhuc bini periti vota conficiunt ad normam can. 2118, sed eorum conclusiones non illico remittuntur advocato aut promotori nisi prius in plenario commissariorum conventu, pluribus argumentatis suffragiis fuerint illustratae atque comprobatae; ita relatio commissionis perficit et complet scientificum peritorum iudicium quoad essentialia discussionis capita quin advocatorum opprimat officium. Quinimmo illud magnopere iuvat argumentata sua sententia nedum pro informatione paranda verum pro responsionibus conficiendis, quoad reliqua discussionis elementa, Promotoris animadversionibus opponendis. Promotor autem sua ipsius praesentia opportunitatem habet vivide casus naturam et umbras perfecte cognoscendi suas exinde adnotationes censorias exigentiis scientificis casus omnimode aptaturus.

Legi Codicis conforme pariter evincitur praescriptum in casi-

bus haud favorabilibus aut dubiis consulendi SS.mum prout iubet can. 2107; e contra planum est quod Emus Praefectus in casibus favorabilibus commissariorum responso annuat, et ad ulteriora procedendum decernere valeat. Commissariorum nominatio tribuitur Card. S. R. C. Praefecto audito promotore, non autem Card. Ponenti, quia de collegio peritorum agitur quod stabiliter suam operam praestare debet in omnibus causis, nova collegiali discussione praescripta. Tamen nomina commissariorum nota esse possunt non autem singulorum responsa, quae semper secreto iurato antequam suffragium tradatur, proteguntur prout Codex vult. Can. 2031 novis necessitatibus aptatur, quin vim amittat; et cc. 2109 2122 quoad « positiones » conficiendas non negliguntur.

Notatu dignum est quod commissio nedum in discussionem verum etiam in confectionem processus intervenit magna cum opportunitate, siquidem probationes diligenter et perfecte colligi debent antequam discuti utiliter valeant; interrogatoria porro a commissione paranda maxime iuvant informationem processualem quoad elementa praeternaturalis interventus, comparandam per testes scientiae ignaros, qui nisi exquirantur peculiari cum sagacitate celare poterunt adiuncta causae utillima.

Congregationi ergo praeparatoriae haud ieiuna messis paratur cribranda: multiplex et fere integre definita informatio adstat sive patronorum, sive peritorum sive Censurae; Cardinales et consultores habent praeterea testium omnium depositiones in summario collectas quibus suffragari debet sententia ad normam can. 2020 par. 7, habent denique nova documenta medica, quibus probatio miraculorum ad normam can. 2019 plenius praestari potest. Cardinales uni decisorium sub auctoritate Pontificis prout Codex iubet, proferunt iudicium; sed nemo non videt qua maiori rerum cognitione consultores ipsi theologi suffragium de omnibus elementis miraculi addere valent ex innovata procedura.

Ecclesia haud mero numero peritorum, amplius aucto, maiorem fidem praestat, sed methodo collegialis discussionis scientificae mavult miracula subiici, ut theologorum votum solidius fundamentum praehabeat; et quando difficultates medicae supersint, non unius licet sollertissimi advocati, tertii aut quarti etiam periti responso adiuti, sit respondere; verum ipsae responsiones praebeantur plurium collustrae responso medicorum, ne sententia ex defectu plenioris comparationis scientificae suspicioni cedat. Hinc miraculorum theologica praestantia amplius et perfectius scientiarum auxiliis cohonestatur.

Salvator Indelicato
in Studio Rotali Professor
S. R. C. Officialis

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

DAL DISCORSO TENUTO DA S. E. G. MIRAULO P. G. PRESSO LA CORTE S. DI CASSAZIONE IN OCCASIONE DELL'INAUGURAZIONE DELL'ANNO GIUDIZIARIO 1950.

Il 5 gennaio 1950, in occasione dell'inaugurazione dell'anno giudiziario, S. E. Gaetano Miraulo, Procuratore Generale presso la Corte Suprema di Cassazione, ha tenuto alla presenza delle massime Autorità dello Stato il consueto discorso inaugurale, nel quale, tra gli altri argomenti, ha trattato con lucida sintesi la questione matrimoniale concordataria, esaminandola sotto i suoi molteplici aspetti.

Siamo lieti di poter pubblicare questa parte del discorso, rilevando come l'alta parola dell'insigne magistrato ha ribadito con la massima fermezza le decisioni in merito della Corte Suprema, illustrate in questo stesso numero della Rivista, ed ha confortato così quella parte della dottrina, che da tempo ha sostenuto gli stessi principi ormai fatti propri dalla suprema Autorità della Magistratura.

12. — *Ad una serie di notevoli decisioni è addivenuta recentemente la Suprema Corte nella delicata materia del diritto matrimoniale, i cui essenziali problemi, per la stretta coordinazione coi principii informativi, etici e sociali, della civile convenienza, hanno dato luogo, in questi ultimi tempi, a vivaci dibattiti che appassionano intensamente la pubblica opinione.*

Buona parte di tali decisioni sono state provocate dalla iniziativa di questa Procura Generale, la quale, di fronte all'impressionante fenomeno, nocivo per la certezza del diritto, di contrastanti inconciliabili orientamenti delle Corti di merito, in ordine ai criteri di interpretazione e di applicazione del diritto positivo in oggetto (in relazione al Concordato con la S. Sede), ha sentito l'esigenza, di pubblico interesse, di sottoporre le questioni fondamentali all'esame, o riesame, della Corte regolatrice, avvalendosi, nella inattività delle parti, dell'unico mezzo processuale a sua disposizione, consistente nel ricorso nell'interesse della legge.

Trattasi, come è noto, di una straordinaria impugnativa, la quale, avendo per presupposto il passaggio in giudicato delle sentenze di merito, tende e può pervenire all'unico obbietto della enunciazione, da parte del Supremo Collegio, di massime interpre-

tative astratte, da valere, per la loro intrinseca autorità, come direttive per l'orientamento futuro della giurisprudenza. Risultato, peraltro, che non risponde adeguatamente alle esigenze superiori del diritto, nè a quelle concrete della vita, per la acquisita intangibilità delle situazioni già decise e per il naturale difetto di ogni atttributo vincolante nelle emanande superiori statuazioni, per cui la giurisprudenza continua spesso a dar spettacolo di disorientamento e di incertezza. A porre rimedio a cotale incresciosa situazione — di cui non è chi non veda gli inconvenienti ed i pericoli, — dovrebbe provvedere il noto progetto di legge, da tempo predisposto, di modificazione dell'art. 72 del codice di procedura civile, nel senso di abilitare il pubblico ministero alla impugnativa, in veste di parte, secondo una tesi già affacciata in passato, delle decisioni emesse nelle cause in cui è obbligatorio il suo intervento; la qual cosa varrebbe a superare l'acquiescenza, spesso collusiva, delle parti interessate, evitando il passaggio in giudicato delle sentenze di merito, col sottoporle, quando del caso, ad un efficace sindacato per parte della Corte di Cassazione.

E' da augurarsi pertanto che il progetto — attualmente all'esame del Senato — approdi presto alla traduzione in legge.

Una breve rassegna delle più importanti decisioni varrà a dare il quadro del travaglio interpretativo che ha agitato ed agita la complessa materia.

13. — *Coniugi italiani, legati tra loro da matrimonio canonico con effetti civili, avevano ottenuto l'annullamento del vincolo dal Tribunale romeno di Ilfov. La sentenza era stata trascritta nei registri di stato civile italiano; ma il Procuratore della Repubblica competente per territorio si opponeva alle pubblicazioni del nuovo matrimonio che uno dei coniugi intendeva ivi contrarre, opinando doversi considerare nulla ed inoperante la trascrizione della sentenza straniera per difetto di preventiva delibazione. In seguito a ciò uno dei coniugi conveniva l'altro davanti alla Corte di appello di Torino per ottenere declaratoria di efficacia della sentenza straniera, a prescindere dal giudizio di delibazione. La Corte adita dichiarava non essere assoggettibile a delibazione, ai sensi dell'art. 796 c. p. c., la sentenza romena passata in giudicato, perchè, in forza dell'art. 11 della convenzione consolare italo-romena 5-17 agosto, 1880, resa esecutiva con r. d. 24 marzo 1881, n. 137, le decisioni dei giudici romeni, passate in giudicato, avrebbero di per sè stesse piena efficacia in Italia, senza d'uopo di ulteriori interventi dell'autorità giurisdizionale patria: il che sarebbe necessario solo nei casi in cui le sentenze romene dovessero originare un provvedimento vero e proprio di esecuzione forzata. La Corte affermava*

poi che la riconosciuta efficacia automatica in Italia delle sentenze romene, che annullano matrimoni canonici concordatari, non violerebbe in alcun modo la vigente legislazione matrimoniale italiana, in quanto la declaratoria di annullamento limiterebbe la sua efficacia alla trascrizione del matrimonio canonico sui rigistri dello stato civile, e quindi agli effetti civili, senza toccare il vincolo ecsiastico di natura sacramentale.

Le Sezioni Unite [1], *in accoglimento dei motivi di ricorso di questa Procura Generale, hanno affermato la necessità di un preventivo giudizio di delibazione, in quanto la trascrizione di una pronuncia di giudice nei registri di stato civile, già costituisce un vero e proprio atto di esecuzione della sentenza.*

E, quanto alla subordinata questione di merito, hanno affermato il principio che le sentenze di giudici stranieri, a proposito della validità di matrimonii canonci concordatari contratti in Italia da cittadini italiani, non possono esser fatte valere nel territorio dello Stato, per difetto nel giudice straniero della necessaria competenza internazionale, sotto il profilo che questa non possa esercitarsi nei confronti di cittadini italiani nei casi in cui il gudice patrio difetterebbe di giurisdizione: la quale situazione è appunto quella del diritto matrimoniale concordatario, laddove, in base all'art. 34 del Concordato, è stata attribuita in via esclusiva ai Tribunali e Dicasteri ecclesiastici la giurisdizione nelle cause concernenti il vincolo matrimoniale.

14. — *Non meno delicata appariva la questione altrove dibattuta, se al caso della interdizione per infermità di mente, indicato nell'art. 12 n. 3 della legge 27 maggio 1929 n. 847 come ostativo della trascrizione del matrimonio canonico nei registri di stato civile, fosse equiparabile l'infermità di mente (incapacità naturale) di uno dei coniugi, ancorchè contigente e non susseguita da declaratoria di interdizione.*

La Corte di Appello di Bologna, con una serie di giudicati, si era pronunciata in senso affermativo, in base alla considerazione della equivalenza sostanziale, ai fini della perfezione del consenso, tra l'incapacità naturale e lo stato legale di interdizione, nonchè in base alla distinzione ed indipendenza, nel processo formativo del vincolo matrimoniale, tra il momento giuridico (di natura civile) della trascrizione, e quello sacramentale anteriore della celebrazione canonica. Onde la trascrizione potrebbe essere annullata

---

[1] Sent. 25 giugno 1949 n. 1592, Sez. Un., P. Pres. Ferrara, Est. Pasquera, P. M. Eula, in causa P, M. c. Mazzola e Rinaldi.

dal giudice civile, con efficacia risolutiva del vincolo relativo, pur restando fermo ed impregiudicato il matrimonio religioso.

La Corte Suprema, che in una precedente sentenza a suo tempo segnalata in questa sede [2], *già aveva affermato una massima in aperto contrasto con tale indirizzo giurisprudenziale, a seguito di altri ricorsi nell'interesse della legge di questa Procura Generale, riconfermava attraverso nuovo maturo esame il proprio insegnamento, aderendo interamente, in una serie di importanti decisione* [3], *ai rilievi di diritto prospettati da questo Ufficio. In tali ricorsi si era messo in luce il fondamento giuridico e la tassatività dell'art. 12 della citata legge matrimoniale, osservando come i tre casi ivi previsti rispondano ad un unico concetto, inerente alla giuridica impossibilità di trascrizione del matrimono canonco quando preesista un atto ufficiale dello Stato, sia esso di autarità civile e giudiziaria, che appaia in contrasto col vincolo matrimoniale. Onde profonda appare la differenza tra una preesistente sentenza di interdizione, risultante dai registri nei quali il matrimonio canonico si vuole trascrivere, e uno stato naturale di infermità di mente, il quale, toccando propriamente l'elemento del consenso, necessario alla perfezione del vincolo, non può essere apprezzato, giusta la nota riserva del Concordato, che dal giudice ecclesiastico competente.*

15. — *Sempre in tema di diritto concordatario, ma con fondamentali riferimenti, in via di presupposto, ai principii informativi della nostra legislazione sulla cittadinanza, — una ultima questione — assai grave e delicata — ha formato infine oggetto di altro ricorso di questo ufficio. E ciò a proposito di una sentenza della Corte d'appello di Roma che aveva dichiarato esecutiva in Italia la sentenza di divorzio pronunciata da giudice statunitense relativamente ad un matrimonio concordatario celebrato in Italia tra un cittadino americano ed una cittadina italiana, sotto il profilo che la competenza (internazionale) del giudice straniero, sarebbe stata legittimata dalla condizione di cittadina straniera acquisita anche dalla moglie, già italiana, per effetto del matrimonio.*

Senza attardarsi in una minuta esposizione motiva, basta qui accennare come la Suprema Corte [4], *in accoglimento pieno del ri-*

---

[2] Sent. 27 giugno 1947 n. 1021, Sez. Un., in causa Rutelli c. Borello.

[3] Sent. 25 giugno 1949 nn. 1593, 1594, 1595 e 1596, Sez. Un., P. Pres. Ferrara, Est. Pasquale, P. M. Eula, in causa P. M c. Zambarelli e Fassi, Pandolfi e Mailland, Stevenini e Tofanelli, Mauceri e Germani.

[4] Sent. 6 agosto 1949 n. 2241, Sez. Un., P. Pres. Ferrara, Rel. Pasquera, P. M, Eula, in causa P. M. c. Martini-Marescotti e Crane.

corso, abbia riscontrato, la manifesta erroneità del cennato presupposto; per cui, dovendosi tuttora applicare, quanto meno nei confronti del coniuge rimasto cittadino italiano, la disciplina concordatario, ne derivava l'incompetenza internazionale del giudice straniero, in corrispondenza al difetto di giurisdizione che avrebbe dovuto riconoscersi in materia, nel giudice italiano.

16. — *Questa Procura Generale d'altro canto — nell'unico fine, costantemente perseguito, di cooperare all'osservanza obbiettiva rigorosa del diritto positivo in vigore, quale risultante dal complesso sistema del nostro ordinamento civile, degli intervenuti accordi con la Santa Sede, e delle leggi patrie che vi avevano dato esecuzione, — si pronunciava invece per l'applicazione esclusiva della legge civile e per la indipendenza delle relative decisioni da quelle canoniche, in altre ipotesi in cui sussiste rispettiva autonimia tra gli ordinamenti in questione.*

Così nel caso di un matrimonio puramente civile preconcordatario, del quale si era chiesto l'annullamento, sotto il profilo dell'errore di persona, in relazione alla assunta ignoranza della condizione dell'altro coniuge, tuttora legato da anteriore vincolo matrimoniale, puramente religioso, con diversa persona. In tale caso la Suprema Corte [5] *ebbe a disattendere la tesi della nullità, in base alla considerazione della irrilevanza giuridica, nel diritto preconcordatario, del vincolo religioso rispetto a quello civile.*

---

[5] Sent. 12 agosto 1949 n. 2301, Sez. Un., P. Pres. Ferrara, Est. Messina l., P. M. Eula, in causa Campanile c. Lisa.

IL DIRITTO MATRIMONIALE CONCORDATARIO E LA CASSAZIONE A SEZIONI UNITE

I° L'anno 1949 ha veduto felicemente e definitivamente risolta, sotto il profilo del puro diritto, una tra le più importanti questioni in tema di matrimonio concordatario: questione che fin dagli albori del Concordato stipulato l'11 febbraio 1929 tra la Chiesa e l'Italia ha tenuto divise la dottrina e la giurisprudenza in due campi nettamente opposti.

Come è noto lo Stato Italiano con legge interna [1] ha disposto che il matrimonio-sacramento non può avere efficacia civile se non sia trascritto nei registri anagrafici; la dottrina e la stessa giurisprudenza hanno, allora, attribuito all'atto di trascrizione *valore sostanziale* « circa civiles effectus » [2]; e da tale presupposto scientificamente esatto prendeva le mosse la corrente divorzistica per sferrare un insidioso attacco alla indissolubilità del matrimonio.

Si è, infatti, sostenuto che avendo la trascrizione carattere sostanziale agli effetti del riconoscimento civile del matrimonio religioso, la trascrizione medesima ed il matrimonio canonico sono due atti autonomi e per sè stanti; con la conseguenza che mentre per il Concordato (art. 34) viene riservata in esclusiva ai tribunali ecclesiastici la competenza a giudicare sulla esistenza del vincolo matrimoniale, il giudizio su questioni comunque attinenti all'atto di trascrizione rimane di esclusiva competenza della magistratura italiana [3].

Così posto il problema il primo gran passo verso il pratico svuotamente dell'art. 34 del Concordato era compiuto; non restava

---

[1] Legge 27 Maggio 1929, n. 847 (art. 5, 7, 3° comma, 12 n. 3. 16 I° cap).

[2] E' noto il dissenso tra i civilisti ed i canonisti in materia. Sostengono i secondi che avendo lo Stato Italiano liberamente convenuto con la Chiesa (art. 34 del Concordato 11-2-1929) il riconoscimento a tutti gli effetti civili del matrimonio - sacramento non si poteva, poi, con una legge interna ridurre notevolmente i limiti del patto attribuendo tra l'altro alla trascrizione carattere sostanziale agli effetti del riconoscimento civile e negando efficacia al matrimonio canonico celebrato « coram solis testibus (can. 1094, C. I. C.). Secondo i canonisti, dunque, lo Stato Italiano avrebbe violato il principio fondamentale in materia di accordi internazionali « pacta sunt servanda ».

[3] Vedi legge matrimoniale citata.

che la fatica di identificare i motivi giuridici [4] più o meno apparentemente plausibili per far cadere la trascrizione del matrimonio religioso: per introndurre, cioè, nel nostro ordinamento — sit pure per la porta di servizio — una forma di divorzio vero e proprio.

E per due vie, di preferenza, la corrente divorzistica ha attentato alla vitalità giuridica dell'atto di trascrizione.

Si è detto:

1. Sotto il profilo del diritto interno la capacità naturale è il presupposto logico — necessario della capacità legale: quindi la trascrizione di un matrimonio religioso deve cadere quando si accerti che uno dei contraenti al momenti delle nozze si trovava in stato di naturale incapacità [5].

2. Sotto il profilo del diritto internazionale privato non può rimanere ferma la trascrizione di un matrimonio concordatario quando in base a convenzioni internazionali (Aja e Bucarest) si chiede l'annotazione nei registri dello Stato Civile di una sentenza straniera di annullamento del vincolo; che anzi —si è aggiunto — per le sentenze rumene non occorre neppure il giudizio di delibazione della competente Corte di Appello giusto il contenuto dell'art. 11 del trattato italo-rumeno del 1880 [6].

Gli anti-divorzisti hanno replicato:

a) sotto il profilo del diritto interno non possono estendersi all'atto di trascrizione i principi propri all'atto di matrimonio circa la capacità dei contraenti. E' vero che la incapacità naturale

---

[4] I motivi giuridici sui quali più vivo è il dissenso tra le due scuole sono stati compiutamente esposti nelle seguenti opere: Candia « *Incapacità naturale e matrimonio concordatario* » in Diritto Ecclesiastico. Fasc. II, anno 1946; Guidi « *Trascrizione di matrimonio concordatario ed interdizione* » Riv. Cit., aprile 1942, n. 4; Badii « *Sistema del diritto matrimoniale italiano* », Ed. Roma; Patrizi di Ripacandita in Diritto Eccl. 1948, 59; Quadri « *Efficacia in Italia delle sentenze di annullamento di matrimonio* » in Giurisprudenza Italiana 1948, I, 2, 14; Guicciardi in Giur. It., 1948, 2, 241; Lenti « *Impugnabilità della trascrizione del matrimonio concordatario per incapacità naturale del contraente* » in Archivio di ricerche giuridiche, anno II, nn. 11-12; « *L'art. 11 della convenzione consolare Italo-Romeno del 5-19 agosto 1880 e la necessità di delibazione delle sentenze Romene di annullamento di matrimonio* » Riv. cit., anno III, n. 4.

[5] Tra le sentenze più notevoli che hanno accettato la tesi della equiparazione della incapacità naturale a quella legale si annovera quella della Corte di Appello di Bologna: Sez. II - 4-13 maggio 1948, Pres. Sangiorgio, Est. Di Stefano - Gayno-Bisazza. La Sig.ra Gayno è oggi sposata civilmente coll'On. Terracini.

[6] Tra i giudicati favorevoli alla non-delibazione vedi: Corte Appello di Ancona 12, 20 settembre 1947, Kralik-Tonini; Corte Appello Perugia, Sabbadini-Bianchi; in particolare vedi la Sentenza della Corte di Appello di Torino, 15 Aprile 1948, Peretti Griva P., Presidente ed Estensore, Mazzola c. Ranaldi. Tale sentenza è una di quelle che ha dato luogo a ricorso del P. M. nell'interesse della legge presso la Suprema Corte.

porta la nullità del vincolo; ma non può portare la nullità dell'atto amministrativo che ne deriva (la trascrizione) alla formazione del quale la volontà degli sposi è assolutamente estranea. Caduto il matrimonio, cadrà certamente anche la trascrizione: ma essendo rimessa alla autorità ecclesiastica in esclusiva la competenza a giudicare sulla nullità del vincolo, la trascrizione del matrimonio concordatario ed i relativi effetti civili resteranno in vita fin quando l'Autorità competente (art. 34 del Concordato) non abbia dichiarato l'inesistenza *ob amentiam* del matrimonio — sacramento.

b) Sotto il profilo del diritto internazionale non soltanto non si può procedere — senza il prescritto giudizio di delibazione — alla annotazione nei registri dello Stato civile di una sentenza di annullamento emanata da Autorità giudiziarie straniere, ivi comprese quelle date dalla magistratura rumena, ma sopratutto non si può — in relazione ad un matrimonio concordatario — concedersi la delibazione, perchè la materia oggetto dei patti lateranensi (riconoscimento agli effetti civili del rito matrimoniale cattolico) non rientra nella sfera di imperio delle Convenzioni dell'Aja e di Bucarest relative soltanto all'istituto matrimoniale civile [7].

* * *

II° La Cassazione a Sezioni Unite, sotto l'autorevole alluminata direzione delle Primo Presidente Andrea FERRARA, adita nell'interesse della legge dal P. M. presso la Corte medesima, ha pronunciato rispettivamente in data 19 maggio 1949 e 23 giugno 1949 la sua definitiva parola accogliendo in sostanza tutte le tesi fatte proprie dalla dottrina anti-divorzistica [8].

La Cessazione, infatti, con motivazione sobria, convincente, lucidissima si è pronunciata sia sul primo che sul secondo aspetto della questione, oltre che su questioni marginali [9].

---

[7] Vedi Bibliografia citata sub nota 4.

[8] Le sentenze del 19 maggio 1949 sono state riportate in estenso nella Rivista « Archivio di Ricerche Giuridiche », Anno III, fasc. 5-6: Relatori: Consigliere Pasquera per la questione Romena (sent. 1592/49. P. M. della Corte di Cass. c/ Mazzola): Consigliere Pasquale per la questione della incapacità naturale (Sent. 1593/49. P. M. della Corte di Cassazione c/ Zambardelli e Fassi): Consigliere Pasquera per la quesione americana (sent. 23-6-1949 P. M. della Corte di Cassazione c/ Martini Marescotti e Krane).

[9] La Corte di Cassazione a Sezioni Uniti ha fissato anche i seguenti principi: *a)* nel procedimento di Cassazione dominato dopo la proposizione del ricorso dall'impulso di ufficio non può trovare applicazione l'Istituto processuale dell'interruzione del processo per sopravvenuta morte di una delle parti. *b)* l'art. 32 della vigente convenzione consolare tra l'Italia e la Romania firmata a Bucarest il 5-17

Sulla tesi della incapacità naturale ha precisato:

1. « La trascrizione è atto essenziale (agli effetti civili) ma non è atto autonomo ». (Sentenza 19 maggio 1949 n. 1593).

Quale è, allora, la dipendenza tra i due atti? E' una dipendenza formale *generata da un rapporto di causalità semplicemente esterno,* cioè da un rapporto che non consente identificare *la essenza* dell'uno con quella dell'altro, non dipendendo la validità sostanziale della trascrizione dalla validità sostanziale del matrimonio.

2. « Se si ritenesse di comprendere nell'ultimo caso dell'art. 12 della legge matrimoniale (legge cit.) — il matrimonio contratto da un interdetto per infermità di mente — anche e semplicemente cotesta infermità si invaderebbe un campo che non è tutto proprio del nostro diritto positivo, dacchè l'infermità di mente — intesa come incapacità di intendere e di volere — si riflette sul consenso, ed il vizio del consenso è disciplinato come causa di annullamento anche nel diritto canonico (matrimonium facit partium consensus, can. 1081, 1082 C. J.C.). L'interferenza tra i due ordinamenti sarebbe allora palese: ed il principio che le cause di nullità del matrimonio sono riservate alla giurisdizione ecclesiastica resterebbe vulnerato in pieno..... » (sent. cit.).

La Cassazione ha voluto colpire in breccia l'errore della opposta tesi, ed ha dichiarato che l'art. 12 è chiarissimo nella sua dizione letterale in quanto il legislatore ha voluto, per esso, definire soltanto *le eccezioni alla regola della trascrivibilità* di un ma-

---

agosto 1880, e resa esecutiva con R. D. 24-3-1881, n. 137, prevedendo che le divergenze tra le parti contraenti sulla interpretazione ed esecuzione della convenzione stessa debbano, una volta esauriti i mezzi di composizione diretta, essere sottoposti al giudizio di commissioni arbitrali, non intende escludere l'attività degli organi giurisdizionali dei due Stati nelle controversie in cui sia necessario interpretare quest'atto divenuto legge interna. Esso non limita neppure la facoltà di denunciare alla Corte Suprema di Cassazione a norma degli articoli 363 cod. proc. civ. e 77 Ordinam. Giudiz. una sentenza contro la quale il P. M. non aveva la possibilità di proporre l'ordinaria impugnazione e che le parti hanno lasciato passare in giudicato e tanto meno limita il compito istituzionale della Corte Suprema di assicurare l'esatta osservanza e l'uniforme interpretazione della legge. *c)* Trascritta nei registri dello stato civile senza preventiva delibazione una sentenza romena di annullamento di matrimonio celebrato in Italia tra italiani e fattasi opposizione dal P. M. al nuovo matrimonio di uno dei coniugi sotto il profilo della nullità della trascrizione la competenza funzionale a conoscere della domanda con la quale il predetto coniuge intende che sia accertata la necessità di delibare la sentenza, spetta in unico grado di merito alla Corte di Appello nella cui circoscrizione fu eseguita la trascrizione.

Aderiamo senza riserve alle massime sopra riportate le quali appaiono assolutamente conformi, sotto il profilo formale e sostanziale, al diritto obiettivo vigente.

[10] Vedi in particolare la Sentenza della Corte di Appello di Torino: 15-4-1948 citata sub nota 6.

trimonio concordatario e della intangibilità della trascrizione relativa.

3. « Le ragioni più strettamente giuridiche adottate dalla Corte di Bologna per giustificare l'impugnativa della trascrizione anche per infermità di mente, si infrangono tutte alla semplice lettura degli artt. .16, 12, 7 della legge matrimoniale....» (sent. cit.), e più precisamente:

a) « Il richiamo che l'art. 16 fa all'art. 112 (119) c. c., non sta ad indicare che si sia voluto, in ordine al terzo caso dell'art. 12, comprendere anche l'interdizione per infermità di mente dopo che il matrimonio sia celebrato: perchè l'art. 16, stabilendo che l'impugnativa può farsi soltanto per una delle cause menzionate nell'art. 12, si riferisce a quei casi tassativamente previsti: ed il richiamo all'art. 112 non ha una finalità soltanto procedurale..... ».

b) « L'impugativa può essere ammessa solo quando l'interdizione sia stata pronunciata con sentenza definitiva che ha carattere costitutivo anteriormente alla celebrazione: perchè solo in questo caso è evidente il contrasto tra l'ordinamento dello Stato che considera l'interdetto incapace di contrarre il matrimonio e l'ordinamento canonico che l'istituto della interdizione completamente disconosce. Al contrario, quando nessuno degli sposi è privo della capacità di consentire al momento della celebrazione del matrimonio, la valutazione della manifestazione della loro volontà nel dare il consenso, *è riservata in virtù del Concordato soltanto ai Tribunali Ecclesiastici* ».

c) « Anche iniziato il giudizio di interdizione — quando il matrimonio sia celebrato e sia avvenuta la trascrizione — se intervenga la pronuncia di interdizione, *l'impugnativa non è più ammessa* ».

d) « Non è riconosciuto in relazione alla trascrizione alcun diritto soggettivo tutelabile in giudizio; manca così un presupposto dell'azione, cioè un interesse che la giustifichi ».

* * *

La Cassazione, dunque, ha esaminato tutti gli aspetti del problema; ed ha fatto naufragare uno dopo l'altro i numerosi argomenti portati dai divorzisti nella improba fatica, degna di miglior causa, di sconvolgere il sistema matrimoniale italiano vivo da secoli nella coscienza del nostro popolo.

La Cassazione ha in sostanza rilevato che: all'interpretazione estensiva dell'art. 16 cap. si oppongono due ostacoli: l'uno *formale*, essendo sistemato il matrimonio concordatario e quello civile sotto capi diversi del Codice Civile: l'altro *sostanziale* contenendo la se-

conda parte dell'art. 12 una disposizione di mera natura processuale: che è dato soltanto alla Chiesa di accertare in esclusiva i dati di fatto (nel caso, la malattia mentale di un contraente) che costituiscono il necessario antecedente logico-giuridico per far cadere il matrimonio e la relativa trascrizione e le disposizioni legislative riguardanti la trascrizione presuppongono in effetti un matrimonio in fieri, ma che il matrimonio-sacramento prima della trascrizione, è « in fieri tantum circa civiles effectus », e non come vincolo nuziale già « in esse » al cui momento formativo retroagiranno tutti gli effetti della trascrizione; infine che, essendo la trascrizione atto amministrativo ed unilaterale, la legittimazione attiva non è concessa al cittadino neppure sotto l'attenuato profilo dell'interesse.

* * *

Sulla tesi della trascrizione delle sentenze straniere di divorzio la stessa Corte ha chiarito:

4. « Sostiene il P. M. ..... che la trascrizione e l'annotazione di una sentenza nei registri dello Stato civile sono da considerare forme specifiche di esecuzione, proprie di tale tipo di sentenze;.... la tesi del P. M. aderisce ai più corretti principi di diritto.....» (sentenza 9 Maggio 1949 n. 1592).

Vana, dunque, è apparsa al Supremo Collegio la distinzione posta in essere dalle Magistrature di merito [10] tra esecuzione in senso lato ed in senso stretto facendo rientrare nella seconda specie la trascrizione nei registri dello Stato civile di una sensenza « in re matrimoniali » emanata in Romania. (Teoria della distinzione tra cosa giudicata ed esecuzione forzata).

Ogni trascrizione di sentenza (straniera o italiana che sia) nei registri anagrafici è forma di esecuzione specifica, necessaria, l'unica possibile nella subiecta materia per dare attuazione concreta al deliberato del giudice.

5. « Anche ammesso che soltanto l'esecuzione forzata avesse efficacia territoriale e che ogni forma di esecuzione autoritativa di una sentenza rumena sia stata sottratta al giudizio di delibazione..... (poichè la convenzione medesima) ha continuato e continua ad aver vigore... questa vitalità si spiega con la sua capacità di adattamento all'ordine giuridico degli Stati contraenti, in continua evoluzione » (sent. cit.).

Altro cavallo di battaglia della corrente divorzistica è appunto quello per cui l'interpretazione dei concetti della *jurisdictio* e dell'*imperium* deve esser fatta alla stregua dei principi dottrinali

dominanti all'epoca della Convenzione. (Teoria della interpretazione statica del diritto).

Si obiettò in contrasto che nessuna conseguenza favorevole alla tesi della non-delibazione poteva trarsi esaminando il problema sotto l'angolo visuale dei superati concetti giuridici circa la *jurisdictio* e l'*imperium*, l'una e l'altro ritenuti nel lontano 1881 parti coesistenti della medesima sentenza.

La Cassazione ha ora confermato tali principi attenendosi alle più recenti conquiste della dottrina internazionalistica (Teoria della interpretazione dinamica del diritto).

6. « (Le alte parti contraenti mantennero) la distinzione tra la decisione e l'esecuzione e pur riconoscendo piena efficacia alla giurisdizione « neammoins » non rinunciarono al giudizio di delibazione per eseguirle essendo prerogativa dello Stato tradurre in atto la decisione con la forza e facendo uso della propria autorità nel prorprio territorio ».

Altra tesi sostenuta dalla corrente divorsistica è quella cosidetta della « collaborazione internazionale », per cui tutte le convenzioni stipulate dall'Italia « in quel periodo di tempo (1880-1890 circa) » stanno a provare il desiderio dei contraenti di attuare una stretta collaborazione sul piano internazionale, per cui la via intrinseca delle sentenze emanate dalle autorità giudiziarie di ciascuna di essi, avrebbe avuto piena efficacia nei rispettivi territori.

Si negò dall'avversa sponda ogni fondamento alla tesi della collaborazione sostenendo che in tutti gli altri trattati stipulati nello stesso periodo di tempo era più che evidente la ferma intenzione dell'Italia di riservarsi integro il diritto della delibazione delle sentenze « da eseguirsi » nel territorio nazionale.

La Cassazione ha sanzionato la caducità che si evince sia dalla considerazione che la diversa formula letterale usata nel trattato Italo-Rumeno da quella usata nei trattati successivi sta piuttosto a significare un progredire della tecnica legislativa, sia dalla considerazione che la stessa forma (decreto reale) adottata per rendere operativa nell'interno dello Stato la convenzione *de qua* dimostra che non si volle apportare alcuna modificazione al sistema legislativo vigente; e modifica in forma antistatutaria si sarebbe apportata alla legislazione interna se si fosse sottratta la sentenza straniera al giudizio di delibazione.

7. « La trascrizione della sentenza di annullamento di matrimonio che soltanto l'Ufficiale dello Stato Civile poteva compiere, era « mediatamente » l'attuazione di un comando legislativo: ma il comando, individualizzabile, di uniformarsi alla decisione poteva esser dato per il diritto interno soltanto dall'organo giurisdi-

zionale competente ad ordinare, senza o contro la volontà delle parti, questa forma specifica di esecuzione... » (sent. cit.).

Altra tesi, apparentemente affascinante, sostenuta dai divorsisti [11] è quella per cui la trascrizione di una sentenza matrimoniale sia piuttosto l'effetto di un adempimento necessario di un comando legislativo che non la esecuzione in senso lato di un comando giurisdizionale (teoria dell'adempimento necessario).

In contrasto si replicò che la confusione di concetti su cui tale teoria veniva fondata era più che evidente nell'erronea identificazione della causa prima di ogni fenomeno giuridico (la legge) con le cause seconde (fatto; rapporto; negozio; statuizioni giuridiche ecc.) che in concreto ne giustificano la modificazione.

La Cassazione ha ribadito tali concetti precisando con chiarissima motivazione che non possono confondersi « i medii » (gli effetti) con « l'estremo » (la causa).

8. « Dopo il Concordato con la S. Sede e l'Italia fatto nel 1929, non può darsi esecuzione nella Repubblica Italiana alle sentenze dei Tribunali Romeni che pronunciano la nullità del matrimonio tra cittadini Italiani celebrato secondo le norme del diritto canonico debitamente trascritto » (Sent. cit.).

Sostiene, infatti, la opposta corrente dottrinale che il concordato con la S. Sede non può giuridicamente giustificare una deviazione dalla retta applicazione delle convenzioni internazionali, e ritenere carenti « in re matrimoniali » i giudici delle Nazioni contraenti.

La Cassazione ha fatto sommaria giustizia dell'ennesimo errore che inficia la costruzione divorzistica; errore che può riassumersi nell'infelice, inopportuno richiamo del passo evangelico: « date a Cesare quel che è di Cesare e a Dio quel che è di Dio », fatto dalla Corte di Appello di Torino nella sentenza 15-6-1948 più volte richiamata, sulla quale si sono poi orchestrati alcuni autori e parte della stampa quotidiana [12].

La « res contractualis » che è a base delle convenzioni richiamate dai divorsisti *è il matrimonio civile; la* « res contractualis » che è a base del Concordato *è una forma di matrimonio,* quella canonica, rimessa alla libera scelta di contraenti.

Vano, allora, è parlare di interferenza tra il Concordato e le altre Convenzioni potendo i ridetti atti internazionali convivere l'uno indipendentemente dagli altri: con questa evidente conse-

---

[11] Tra i più brillanti sostenitori di questa tesi è certo il Guicciardi in Giur. It. 1948, 2, 241.

[12] Lo stesso Guicciardi in Riv. Cit.; Avv. Raineri in « Nuovo Diritto » 11, 1949, con nota redazionale adesiva; Di Salvo nel « Giornale d'Italia » n. 274 del 18-11-1949.

guenza giuridica, che i cotraenti col rito cattolico non possono, per loro stessa volontà manifestata all'atto di celebrare le nozze religiose, giovarsi delle disposizioni relative alle convenzioni dell'Aia e di Bucarest.

9. Con altra decisione la stessa Corte Suprema a Sezioni Unite [13] ha ribadito i medesimi principi, facendo — anzi — un definitivo passo avanti con lo stabilire il principio che le sentenze estere di divorzio, in relazione ad un matrimonio concordatario, non possono essere annotate nei registri dello Stato Civile *anche se i due contraenti siano cittadini stranieri.*

Non esitiamo ad affermare che quest'ultima sentenza chiude definitivamente, sotto il profilo tecnico, il ciclo delle incertezze giurisprudenziali in tema di matrimoni concordatari.

La norma concordataria, — dice in sostanza la Corte — è prevalente *come norma speciale* a quella generale dell'art. 18 Disp. sulla Legge in generale.

Qualunque sia la nazionalità dei contraenti, qualunque sia la legge regolatrice dei loro rapporti, quando essi stranieri hanno contratto matrimonio giusta le norme concordatarie, la sentenza straniera, che per qualsiasi ragione annulli il loro matrimonio, non può trovare esecuzione in Italia.

Nulla resta, allora, delle teorie divorsistiche dopo il rigoroso controllo scientifico cui sono state sottoposte le relative tesi da parte della Suprema Magistratura Italiana [14].

* * *

III. - Era da attendere che le decisioni in parola avrebbero suscitato, in particolare l'ultima in ordine di tempo, aspre reazioni nel campo opposto sotto il profilo scientifico e più sotto il profilo politico [15].

---

[13] Sent. cit. sub. nota 8: P. M. c/ Martini Marescotti e Krane.

[14] LENTI: « *La Cassazione a Sezioni Unite e la corrente divorsistica* » in Archivio di Ricerche Giuridiche, anno III, fasc. 7-8.

[15] Le reazioni tuttavia non hanno alcun giuridico fondamento e sono alla evidenza determinate esclusivamente da motivi politici. Gli avversari hanno perduto le staffe e giungono a definire le sentenze della Suprema Corte « decisioni di contingenza »; in regime di concordatario « frode » e « trappola » in danno del cittadino. Vedi « Giornale d'Italia » nn. 274, 286. Tuttavia anche la polemica giornalistica ha avuto esito del tutto contrario a quello che i divorzisti si ripromettevano: il ridicolo, anzi, li ha sommersi quando dalla loro sponda si è levata una voce a proporre nientemeno che... « un'amnistia » per le « coppie infelici ». Interessante, al contrario, è apparso un articolo dell'Avv. Bozzini, il quale a conclusione della polemica, che si è protratta per oltre un mese, ha sostenuto che le tesi di-

Non era da attendere, invece, una reazione da parte delle Magistrature di merito: al contrario alcune Corti bene identificate come la Mecca delle « coppie infelici », sorde all'insegnamento della Corte Suprema, continuano ad offrire in omaggio agli sventurati coniugi sentenze risolutive del vincolo agli effetti civili [16].

Convinti sostenitori dell'assoluta indipendenza della Magistratura, non possiamo tuttavia omettere di rilevare che una reazione tanto vivace ad un verdetto emanato dalla Suprema Autorità Giudiziaria assume un carattere di eccezionale gravità; ed è tale da non costituire una manifestazione d'indipendenza, ma un atto di ribellione che confina con uno straripamento vero e proprio di potere.

Invero limite insormontabile alla discrezionalità della valutazione giuridica da parte del Magistrato è rappresentato, quanto meno, dal principio fondamentale del sistema costituzionale vigente in punto alla netta tripartizione del potere.

Orbene quando il Giudice — nonostante numerose, univoche, obbiettive, chiarissime decisioni del massimo organo giudiziario (le Sezioni Unite della Cassazione) — non intende ad esse uniformarsi, escluso per presunzione *juris et de iure* i casi di incompetenza o di dolo per i quali esistono nell'ordinamento giudiziario precise disposizioni, il Giudice medesimo finisce con l'assumere il ruolo di Legislatore.

---

vorzistiche non hanno in jure condito alcuna consistenza. (Giornale d'Italia del 14 XII 1949).

Ma i divorzisti sono inesauribili nelle loro trovate; e battuti nella polemica giornalistica da loro stessi provocata non si sono dati per vinti e ricorrendo al falso fecero dare da « Il Tempo » del 22 XII 1949 e dal « Il Giornale d'Italia » del 22 XII 1949 la sensazionale notizia che la Corte d'Appello di Roma, in contrasto con gli insegnamenti della Suprema Corte, aveva delibato una sentenza di annullamento pronunciata in Romania tra due cittadini italiani sposatisi nel 1936. I divorzisti, però, avevano dimenticato due... insignificanti particolari: il primo che il matrimonio in questione era stato celebrato tra due istraeliti dinanzi ad un ministro del loro culto, il secondo che sarebbe stato estremamente facile agli antidivorzisti smascherare il falso, ristabilire la verità e replicare sugli stessi giornali che il falso avevano ospitato; così come, infatti, è avvenuto su « Il Tempo » del 24 XII 1949 e su « Il Giornale d'Italia » (V edizione) dello stesso giorno 24 dicembre.

[16] Una recentissima sentenza di una Corte di Appello ben nota per i suoi orientamenti divorzistici è giunta a tacciare di « conformismo e mancanza di indipendenza » i Giudici di I° grado che si erano attenuti al verdetto della Suprema Corte del 19 Maggio 1949. Quando si arriva all'assurdo di definire conformista un Giudice perchè non si è . . . conformato al proprio punto di vista, la indipendenza della Magistratura va a farsi benedire proprio nella coscienza di colui che la invoca. Comunque non si può non prendere atto con vivo piacere di meschinità del genere che rivelano le debolezze delle tesi divorzistiche.

Non sta a noi trarre alcuna conseguenza dall'esposte considerazioni, ma riteniamo che, a prescindere dalla proposta di legge [17] che vorrebbe modificare la portata dell'art. 72 C. P. C. consentendo al P. M. di portare — non soltanto nell'interesse della legge — le sentenze in « re matrimoniali » al giudizio della Corte Suprema, la questione se — *anche allo stato della legislazione* — sia possibile al P. M. di ricorrere in Cassazione in punto al merito di un caso concreto, sia meritevole di tutta l'attenzione da parte degli studiosi [18].

Noi vorremmo che l'alta parola della Cassazione non suonasse soltanto affermazione di principio, ma costituisse direttiva inderogabile per le Corti di merito a tutela della famiglia, sacrario di quelle virtù da cui soltanto potrà scaturire la restaurazione di tutti i valori morali e la ripresa, in ogni campo, della nostra vita nazionale.

Prof. Giulio Lenti
Avv. Rotale

---

[17] E' in corso un progetto di legge per estendere la portata dell'art. 72 C. P. C. concedendo « in re matrimoniali » al P. M. la facoltà di ricorso diretto alla Suprema Corte. Corre voce che il progetto sia fermo per ragioni non... proprio parlamentari.

[18] Non pare, infatti, scientificamente assurdo sostenere che il P. M. allo stato della vigente legislazione possa ricorrere alla Suprema Corte per interesse diretto. La questione, naturalmente, deve essere esaminata a fondo sopratutto in relazione allo sviluppo storico-giuridico delle funzioni del P. M.

CAMERA DEI DEPUTATI

DISEGNO DI LEGGE

PRESENTATO DAL MINISTRO DELL'INTERNO
(SCELBA)

DI CONCERTO COL MINISTRO DEL TESORO E AD INTERIM DEL BILANCIO
(PELLA)

MIGLIORAMENTI ECONOMICI AL CLERO CONGRUATO

Seduta dell'11 febbraio 1949

ONOREVOLI COLLEGHI! - L'articolo 30 del Concordato con la Santa Sede contiene, com'è noto, l'obbligo per lo Stato italiano, finchè con nuovi accordi non sarà diversamente stabilito, di continuare a supplire alle deficienze dei redditi dei benefici ecclesiastici congruati con assegni da corrispondere in misura non inferiore al valore reale di quella stabilita dalle leggi vigenti al momento del Concordato. Consegue da tale norma che il trattamento economico del clero ammesso a fruire dell'intervento statale non debba subire diminuzioni reali e che, quindi, la concessione degli assegni supplementari di congrua debba conservare immutata la sua idoneità ad integrare i redditi beneficiari, in modo da assicurare agli investiti i mezzi ritenuti indispensabili per il loro decoroso mantenimento, comportando, in caso di mutamenti nel valore della moneta, l'impegno di provvedere a corrispondenti variazioni delle misure degli assegni suddetti.

Gli attuali limiti di congrua, pur tenuto conto degli elevamenti già concessi, si dimostrano, per contro, ben lungi dal corrispondere all'ampiezza degli aumenti verificatisi nel costo della vita dall'epoca della stipulazione del Concordato, onde, per la loro inadeguatezza al presente valore monetario, i relativi as-

segni supplementari sono venuti a risultare del tutto insufficienti ad assicurare al clero congruato, conformemente alle finalità cui, per norma di legge, ne è ispirata la concessione, le condizioni necessarie per lo svolgimento del suo ministero spirituale.

Non può, in effetti, al riguardo non aversi presente che, tenuto conto dell'aumento medio che può calcolarsi intervenuto nel livello dei prezzi, un effettivo aggiornamento degli assegni di congrua, in conformità della richiamata disposizione concordataria, importerebbe un'elevazione dei relativi limiti nella misura di circa cinquanta volte rispetto a quelli che vennero stabiliti dal testo unico delle leggi sulla concessione e liquidazione degli assegni di congrua 29 gennaio 1931, n. 227, mentre tali limiti sono stati elevati dall'epoca suddetta - in effetti dal 1925, dato che il testo unico surrichiamato confermò le misure previste del regio decreto-legge 31 marzo 1925, n. 364 - da lire 3.500 a sole lire 42.042 annue per i parroci e da lire 17.000 a lire 204.000 per i vescovi, con una maggiorazione complessiva, quindi, di sole dodici volte all'incirca.

Siffatta situazione determina, in tutta la sua evidenza, una sensibile difformità tra i miglioramenti ottenuti da tutte le categorie, comprese quelle fruenti di assegni a carico dello Stato, e quelli concessi al clero congruato, dando luogo ad una condizione particolare di grave e generale disagio economico pel clero suddetto, che, mentre viene vivamente avvertita dalla categoria interessata, non può non richiamare l'attenzione del Governo, cui è presente la considerazione che compito ed impegno della concessione degli assegni in parola è, per fondamentale principio della legislazione ecclesiastica, di assicurare agli investiti dei benefici congruati i mezzi occorrenti per il proprio decoroso sostentamento.

Attese tali circostanze e con riserva di un più adeguato esame della questione, si appalesa, pertanto, necassario, oltre che rispondente a principi di equità, provvedere fin d'ora, con l'urgenza richiesta dalle esigenze prospettate, ad un sia pur parziale adeguamento degli attuali limiti delle congrue, al fine, quanto meno, di attenuare, anche se in modesta misura, la loro divergenza dal presente valore monetario e sollevare il clero congruato dalle gravi condizioni economiche in cui la maggior parte di esso versa; al che induce anche la considerazione che in precedenti periodi di svalutazione monetaria, come nell'altro dopo guerra, il Governo ebbe cura, con appositi provvedimenti (decreto-legge 15 marzo 1918, n. 396; regio decreto 2 ottobre 1921, n. 1409; regio decreto-legge 2 febbraio 1922, n. 164), di apportare variazioni ai limiti suddetti in misura almeno approssimati-

vamente proporzionata ai reali mutamenti intervenuti nel livello dei prezzi (così per i parroci i limiti di congrua furono, per effetto dei provvedimenti citati, elevati da lire 1000 a lire 3000 e, successivamente, nel 1925, a lire 3.500 annue). Nè, d'altra parte, sembra estraneo a suggerire un intervento statale, inteso ad evitare una troppo sensibile attenuazione del valore reale dei supplementi di congrua, altresì l'avvertimento che, quale correlazione della sovvenzione finanziaria per l'integrazione dei redditi dei benefici congruati, lo Stato esercita, come noto, per riconoscimento del Concordato ed in virtù della legge 27 maggio 1929, n. 848, una particolare tutela sugli atti degli enti medesimi eccedenti l'ordinaria ammnistrazione, intervenendo, inoltre, in caso di loro vacanza.

Ai suesposti criteri si ispira il presente disegno di legge, col quale viene disposto che, con decorrenza dal 1° gennaio 1949, i limiti di congrua e gli altri assegni fissi ed in compenso delle spese di culto, nonchè gli speciali assegni ai sacerdoti, che ancora fruiscono del trattamento economico del cessato governo austro-ungarico, a norma dell'arcolo 24 della legge 27 maggio 1929, n. 848, sono aumentati, in via temporanea, del 100 per cento rispetto alla misura stabilita dal decreto legislativo 18 gennaio 1948, n. 44, con una elavazione, quindi, che, portando all'incirca a ventiquattro volte i limiti stabiliti nel 1931, risulterà, purtuttavia, ancora inferiore alla metà dell'aumento medio che nel frattempo è intervenuto nel livello dei prezzi.

DISEGNO DI LEGGE

—

Art. 1.

A decorrere dal 1° gennaio 1949 sulle misure dei limiti di congrua attualmente spettanti al clero in virtù delle disposizioni contenute nel regio decreto 29 gennaio 1931, n. 227 e nei decreti legislativi 22 marzo 1945, n. 213, 1° aprile 1947, n. 272 e 22 gennaio 1948, n. 44, viene concesso un aumento temporaneo del cento per cento.

Lo stesso aumento compete, con la medesima decorrenza, sull'attuale misura degli altri assegni fissi e di quelli in compenso delle spese di culto, previsti dal regio decreto 29 gennaio 1931, n. 227, nonchè degli assegni spettanti agli ecclesiastici in attività di servizio contemplati dall'articolo 24, comma secondo, della legge 27 maggio 1929, n. 848.

Art. 2°.

All'onere derivante al bilancio dello Stato viene fatto fronte col maggior provento delle entrate conseguenti al decreto-legge 14 dicembre 1948, n. 1419, al de-

creto del Presidente della Repubblica 14 dicembre 1948, n. 1421, e ad altri provvedimenti fiscali e tariffari in corso di attuazione.

Il Ministro per il tesoro è autorizzato ad apportare con propri decreti le variazioni di bilancio occorrenti per l'attuazione della presente legge.

Il surriferito Disegno di legge è stato approvato con qualche modifica apportata all'art. 2° il giorno 8 luglio 1949 in sede di Comm. legislativa ed il relativo Decreto Legge è stato pubblicato il 29 luglio 1949 (Gazz. Uff. n. 183 pag. 2170).

INDEX

INDEX

ACTA SUMMI PONTIFICIS

JUBILAEUM MAXIMUM

Pag.

Indictio universalis Jubilaei Anni Sancti millesimi nongentesimi quinquagesimi 9

Constitutiones Apostolicae. 13

I. Indulgentiae et facultates suspenduntur vertente anno generalis maximique Jubilaei millesimo nongentesimo quinquagesimo . . . 13

II. Paenitentiariis aliisque in Urbe Confessariis extraordinariae conceduntur facultates anno vertente generalis maximique Jubilaei millesimo nongentesimo quinquagesimo. 16

III. Indulgentiae Anni Sancti MDCCCL conceduntur monialibus aliisque stabili impedimento detentis cum opportunis facultatibus circa absolutiones et votorum commutationes. 22

ACTA SEDIS APOSTOLICAE

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

I. MONITA de usu facultatum confessariis per Annum Sanctum tributarum deque ratione indulgentiae Jubilaei lucrandae ad normam Constitutionum Benedicti XIV, Leonis XIII et Pii XI exarata, auctoritate SS.mi D.N. Pii PP. XII ad hodiernam disciplinam accomodata Eiusque jussu edita 27

II. FACULTATES confessariis peregrinis concessae anno vertente generalis maximique Jubilaei MDCCCCL 32

I. Facultates speciales quae tribuuntur *omnibus Confessariis* peregrinis qui jam in sua Dioecesi rite approbati sint pro utroque sexu, quibusque pro foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum uti valeant 32

Pag.

II. Facultates speciales quae *Decem Confessariis* peregrinis, ab hac S. Paenitentiaria, vel ab Episcopo proprio selectis, tribuuntur ad confessiones sociorum peregrinorum accipiendas, quibusque pro foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum uti valeant. 33

III. Monita de usu facultatum confessariis peregrinis tributarum . 34

Adnotationes (S. DE ANGELIS. *Substitutus S. Paenitentiarae Apostolicae*) 37

S. CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM diei 1 Julii 1949 49

DECLARATIO de communistarum matrimonii celebratione (d. 11 Aug. 1949) 50

Adnotationes (R. BIDAGOR S. J. *Consultor S. C. de disciplina Sacramentorum*) 50

DUBIUM de celebratione matrimonii inter acatholicos (d. 30 Jun. 1949) 56

Adnotationes (G. OESTERLE *O. S. B. Consultor S. C. pro Ecclesia Orientali*) 56

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM de facultatibus et gratiis pro America Latina . . . 62

Adnotationes (F. M. CAPPELLO S. J. *Consultor S. C. Consistorialis*) . 65

S. CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

INSTRUCTIO ad locorum Ordinarios pro postulandis apostolicis indultis: I) oratorii domestici cum suis extensionibus; II) altaris portatilis; III) litandi Missam sine ministro; et IV) asservandae SS. Eucharistiae in privatis sacellis 70

Adnotationes (C. ZERBA, *Subsecretarius S. C. de disciplina Sacramentorum*) 90

INSTRUCTIO d. 15 augusti 1949 98

DECRETUM d. 15 Decembr. 1949 105

Pag.

S. CONGREGATIO CONCILII

DECRETUM circa facultates de Missis moderandis (d. 30 Junii 1949) 106

Adnotationes (F. ROMITA, *a studiis S. C. Concilii*) 106

DECRETUM de abstinentiae et jejunii lege observanda (d. 28 Jan. 1949) 122

Adnotationes (A. PARISELLA, *a studiis S. C. Concilii*) 123

S. CONGREGATIO RITUUM

DECRETUM de lampade SS.mi Sacramenti et de luminibus in sacris functionibus adhibendis (d. 18 Augusti 1949). 142

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

De matrimonio putativo 143

Adnotationes (A. LARRAONA, *C. F. M. Subsecretarius S. C. de Religiosis*) 143

STUDIA ET CONSULTATIONES

DE RELIGIOSIS

De institutis saecularibus: doctrina et praxis. S. CANALS, *S. C. de Religiosis* 151

DE MATRIMONIO

De actu positivo voluntatis quo bonum essentiale matrimonii excluditur. D. STAFFA, *Auditor S. R. Rotae.* 164

DE LOCIS SACRIS

De Basilica Minore. H. DANTE, *Substitutus S. C. Rituum* . . . 174

DE PROCESSIBUS

De probationibus in judicio ecclesiastico circa contractus juris civilis. J. PENDOLA, *Promotor Justitiae S. R. Rotae* 178

De excussione mulieris in processibus impotentiae et incosummationis. V. FAGIOLO, *Officialis S. C. de disciplina Sacramentorum* . . . 184

DE CAUSIS BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

Pag.

Collegium medicorum apud Sacram Rituum Congregationem ad experimentum instituitur pro discussione miracolorum in causis Beatificationis et Canonizationis. S. INDELICATO, *Officialis S. C. Rituum.* . . 188

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

Brano del discorso del Procuratore Generale della R. I. . . . 197

Il diritto matrimoniale concordatario e la Cassazione a Sezioni Unite. G. LENTI, *Avvocato della S. R. Rota* 202

Disegno di Legge sui miglioramenti economici al Clero congruato . 213

Gerente Responsabile F. ROMITA

Annus 72
1948 anno 69
65, 70 Anno 73

9 5/16" 3 colonne

GIUBILEO

RASSEGNA ILLUSTRATA DELL'ANNO SANTO

TPa 94. 1941
95 1947 Vatican
96. 1948 Locks #1

PRETIUM HUIUS FASCICULI: LIBELLAE ITALICAE 700

1949

36539

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
3 2400 00332 6315